Quaestiones de rebus militaribus,
quales fuerint
in regno Lagidarum.

DISSERTATIO INAUGURALIS
Historica

quam scripsit
et Amplissimi Philosophorum Ordinis Consensu et Auctoritate
ad summos in philosophia honores
in Universitate Litterarum Viadrina
rite impetrandos

die XVIII. M. Aprilis a. MDCCCC hora

in aula minore

publice defendet

Guilelmus Schubart
Silesius.

Adversarii erunt:
Carolus Mittelhaus, stud. phil.
Walter Otto, stud. phil.

Buchdruckerei Maretzke & Märtin, Trebnitz in Schles.

Postquam ante nonnullos annos satis magna copia papyrorum aetate Lagidarum conscriptarum inventa est, quaecumque pertinent ad Ptolemaeos reges, denuo tractanda atque amplificanda esse videntur. Nam quae traduntur a rerum scriptoribus, nova luce illustrantur ita, ut interdum sententia loci nunc primum plane intellegi possit. Cuius rei exempla invenimus in Polybio, e. g. illis locis, ubi de bello Syriaco Philopatoris verba facit. Inscriptiones, quamquam non desunt, tamen non tantum prosunt rebus Lagidarum conscribendis, quantum nunc discimus e papyris. Hoc libello disserere nonnulla constitui, quae pertinent ad res militares, quales fuerint in Lagidarum regno. Qua in re summo usui fuerunt papyri editae a Mahaffy[1]), quas luci reddidit Flinders Petrie. Nam multae sunt de militibus, qui agris donabantur in eo pago, qui appellabatur λίμνη, postea nomen traxit de Arsinoë Philadelpho. Mahaffy non solum papyris editis optime meritus est de historia Aegypti, sed etiam commentario doctissimo res papyris traditas illustravit. Sed res militares, quales fuissent Lagidis regibus, universas tractare alienum esse duxit ab opere instituto. Nam praeter papyros illas aliae eodem spectant; accedunt et inscriptiones et scriptorum loci. Sed editione illa Mahaffy impellere videtur, ut res accuratius perlustretur. Quae ipse protulit in libris *The Empire of the Ptolemies* et *History of Egypt* inscriptis, dicta sunt *ἐν παρέργῳ*. Praeter papyros Flinders Petrie papyri, quas edidit Kenyon, res militares illustrant; neque omittendae sunt papyri

[1]) Nomina aequalium nonnulla idonea esse non videntur, quae ad formam Latinam redigantur.

a Grenfellio editae. Accedunt corpus papyrorum Parisinarum, papyri Taurinenses, Berolinenses, inter quas gravissimae sunt de trapeza regia Thebis constituta. Sed in reliquis quoque papyris loci non desunt, quibus edoceamur de rebus militaribus.

In hac dissertatione conscribenda benigne me adiuvit Wilckenius ea re, quod suas ipsius lectiones papyrorum mihi adhibendas dedit. Id quod maximo usui fuit in papyris a Mahaffy editis, quia in editione principe, ut accidere solet in opere tam grandi et tanta celeritate confecto, et multae litterae non lectae et voces prave transscriptae sunt. Itaque ubicumque in illis papyris citandis discedo ab editione Wilckenium secutus, lectionem significo littera W addita.

Cum iam tradita esset haec dissertatio Ordini Philosophorum Universitatis Vratislaviensis, Paulus Meyer librum edidit, qui inscribitur *Das Heerwesen der Ptolemäer und Römer in Aegypten. Lipsiae 1900. B. G. T.* Quo libro perlecto res gravissimas, quibus discedit sententia mea a Meyero, adnotare potui, quamquam multum abest, ut satis tractaverim librum, quo summo labore congesta sunt, quaecumque rei militari lucem affundunt. In rebus militaribus conscribendis duae partes separandae esse videntur, et genera militum, quibus exercitus componebatur, et instituta militaria. Illic dicendum est de militibus Macedonibus Graecisve, barbaris, Aegyptiis, de eis, qui dilectu arcessebantur, de eis, qui conducebantur. Hic, quomodo dilectus habitus sit, qui fuerint praefecti militum, quae partes exercitus, quanta qualiave stipendia, exquirendum est. Hac dissertatione omnia, quae eo spectant, amplecti meum esse non duxi. Eas res praeter ceteras graves esse censebam, quibus papyri novam lucem affunderent. Dico de cleruchis et catoecis et epigonis, de Macedonibus, qui fuerint in exercitu Lagidarum, de mercennariis, de Aegyptiis, quatenus militiae ascripti fuerint.

Quicumque res diadochorum et epigonorum conscribere conatur, in origine rerum investiganda oculos vertit ad Alexandrum. Nam reges, qui provincias arripuerant, illum imitatos esse et exemplis illustrari potest et per se facile intellegitur. Sed accedere poterant rationes depromptae e natura gentis, in quam dominabantur, vel regionis, quae obtemperabat. Cum exempla ab Alexandro constituta omnibus eadem ob oculos versarentur, gentes regionesque diadochorum quam maxime differebant. Itaque, quae invenimus in illo regno esse instituta, in hoc quoque adesse opinabimur; sed differentiae supra expositae non sunt neglegendae.

Regna diadochorum armis arrepta armis obtinenda erant. Atque in Alexandri bellis gens Macedonum adeo eminuerat inter ceteras virtute militari, ut Macedones milites sibi adiungere omnes studerent. Sed non sufficiebat numerus. Itaque mercennarii conduci solebant, et Graeci et barbari. Quamquam barbaros, qui stipendia mererent, plerumque more Graecorum armatos cultusque Graeci participes fuisse opinari licet. Indigenae et Asiae et Aegypti post illos ad arma capienda arcessebantur, primum quidem, quia adeo militiae adesse non poterant ut milites expediti, tum, quia virtute superabantur ab illis, denique, quia copias non solum regnum ab hostibus defendere sed etiam gentes subactas opprimere reges volebant. Itaque et stipendiis et praemiis variis milites quam validissimos allicere et retinere studebant.

De Cleruchis.

Mos milites agris donandi in Aegypto antiquitus erat, nam machimos cleros habuisse novimus. Itaque non multum discedere videbantur reges de institutis Pharaonum, cum cleruchos colla-

carent. Sed Alexandri quoque exemplum cum in aliis rebus tum in hac secuti sunt. Nam Asia superata ille non solum praesidia reliquit, sed etiam milites Graecosve illic collocandos oppidaque condenda curavit. Praeterea, ubi agri satis magna copia regi erat, quo modo facilius animos militum sibi conciliare poterat, quam si agros donaret? Ii, qui ab Alexandro collocati esse videntur, cleruchi non appellantur. Sed non deest nomen temporibus anterioribus; satis nota est colonia cleruchorum Atheniensium in insula Lemno constituta. Quae exemplo esse poterat. Diadochi Alexandri milites collocare solebant, ut praesidio essent illi regioni, quam tenerent, et quam artissime regi ipsi coniuncti essent, quia a rege agros accepissent. Utrum in Aegypto iam Soter cleruchos instituerit necne, non constat; certe fecit Ptolemaeus II. Qui ad cleruchos collocandos fortasse commotus est ea re, quod in pago Limne appellato agri vacui erant. Sed fieri quoque poterat, ut Aegyptii removerentur ex agris cleruchorum causa. Nam pagus ille propter magnitudinem et fertilitatem praeter ceteros idoneus esse videbatur, qui militibus distribueretur. Postea sine dubio non semper totidem instituti sunt, sed factum est, prout res et agri copia erant [1]). Quomodo cleruchorum genera propagata sint, postea tractabo; hic dicendum est cleruchos non solum tertio a. Ch. n. saeculo inveniri, sed etiam altero. Neque desunt Imperatorum aetate.

Cleruchi, qui dicuntur, donabantur a rege clero, ita ut ager ipsis esset victui, sed non ab eis possessione legitima teneretur. Quo factum est, ut nusquam in testamentis de clero verba fiant excepta una papyro [2]), in qua verbum κλῆρος lacunis satis magnis circumdatur. Itaque, num hoc loco clerus hereditate tradatur, effici non potest. Quid factum sit post mortem cleruchi, quis

---

[1]) Ter modo cleruchos deductos esse censet P. Meyer, Heerwesen p. 32. Sed ea re, quod cleruchi obversantur et Philadelpho rege et Euergeta et Philopatore, nihil demonstratur. Hac in re ut saepe alibi plane neglexisse videtur P. Meyer ea, quae nobis papyris traduntur, non ratione sed forte ad nostram aetatem conservata esse. Mea quidem sententia nusquam in papyris de tribus clerorum assignationibus verba fiunt. Deducti sunt cleruchi neque omnes semel neque bis neque ter, sed utcumque agri vacabant vel regis intererat milites collocare. Singula explorari non possunt.

[2]) P. P. I, 18.

clerum tenuerit, alibi disserendum est. Maxime nitor illis locis, qui sunt de cleris a rege receptis vel recipiendis. Clerus receptus appellabatur *ἀναληφϑεὶς εἰς τὸ βασιλικόν* [1]). Regem hunc in modum in cleruchos invectum esse, sine dubio propter neglegentiam vel aliud crimen, nonnullis exemplis probatur [2]). Habemus enim epistulas, quibus de cleris a rege receptis leges certae constituuntur. Quas proferam paulo infra, ubi de stathmis dicendum erit. Clerus receptus nomine eius, qui usque ad illud tempus tenuerat, appellabatur. P. P. II, 29 b l. 1 Alcetas non esse pater Acholpis, sed cleruchus prior fuisse videtur, cum papyrum c conferimus. Quod recipiuntur cleri a rege, eos a rege datos esse non demonstrat, quia regi etiam res legitima possessione obtentas eripere licebat. Tamen qui cleruchos, qui sunt milites, in pago Arsinoïtico non paucos sed multos collocatos esse meminerit, vix dubitabit, quin collocati atque cleris donati sint a rege. Cleruchis agros ademptos esse non nisi ob causam gravissimam censeo. Exempla, quibus cleri distribuantur vel assignentur, desunt, contra cleros interdum receptos esse vidimus [3]). Clerum non legitime possessum esse a cleruchis

---

[1]) Quibus verbis demonstratur non ubique dici de trapeza, cum cernimus *τὸ βασιλικόν*. Nam hac in sententia nihil est nisi potestas regia vel res regis, cf. P. P. I, 14 *στ]αϑμὸν [ὃ]ν ἔλαβον ἐγ βασι[λικοῦ*. Vox *ἀναλαμβάνειν εἰς τὸ βασ.* ubique usitata fuisse videtur, ubi agri a rege eis, qui possedebant, eripiebantur. cf. Inscr. Gr. Insul. M. Aeg. III, p. 75. In insula Thera rex agros quosdam occupavit per oeconomum. Fieri poterat, ut in Aegypto quoque oeconomo hoc munus esset. Inscriptio ipsa non est de militibus, qui collocentur cleruchorum vel catoecorum nomine, quamquam eis agri assignantur. Fuit praesidium militum, qui stipendiis donabantur, at non colonia armata modo catoeciae instituta. Nam agri assignantur, ut gymnasio aedificando essent *εἴς τε τὰς ϑυσίας καὶ τὸ ἄλειμμα,* quam ob rem *πρόσοδοι κατ' ἐνιαυτὸν* summa drachmarum computantur. Non catoecos vel cleruchos sed milites praesidiarios in insula esse verbo *στρατιῶται* demonstratur, quo phalangitae stipendiariique discernuntur ab illo genere. Quae alio loco exemplis illustranda sunt. Milites insulae Therae, *οἱ ἐν Θήραι τασσόμενοι στρατιῶται,* hac voce appellantur ib. p. 109, Nr. 466: *εἴς τε τοὺς στρατιώτας κα[ὶ τ]ὴν πόλιν κτλ.*

[2]) P. P. II, 36, 1. l. 23. 29. b. c. d. 8, 3. 31, 5. cf. I, 11]*ς κακῶς ἱπποτροφῶσι — . .]ἀφαιροῦντες,* quamquam hoc loco de cleris verba fieri demonstrari non potest.

[3]) De duabus papyris verba facere liceat, quia prave intellegi possunt. P. P. II, 29a non est de cleris a rege denuo edendis, quibus *ἐκφόριον* impo-

demonstratur testamentis, quibus stathmus commemoratur. Nam si stathmus, quem postea tractabo, plane disiungitur ab eis, quae sunt cleruchi, clerum magis etiam disiunctum esse patet. Ita legimus P. P. I, 27, 20: *τὰ ὑπάρχοντά μοι πάντα καὶ τὸν σταθμόν, ὃν ἔλαβον ἐκ τοῦ βασιλικοῦ*. Stathmus non inseritur inter *τὰ ὑπάρχοντα;* quo pacto clerum interesse inter *τὰ ὑπάρχοντα* veri simile non est. Clarius etiam res explanatur P. P. II, 46 a, qua cleruchus quidam vadimonio dat pro amico se suaque omnia excepto clero. Itaque clerum non inter sua, h. e. *τὰ ὑπάρχοντα*, numerasse videtur. Denique apertis verbis hoc dicitur Rev. Pap. col 36, ubi a colonis, *(γεωργοὶ)*, secernuntur cleruchi, qui cleros receperunt a rege *(εἰλήφασι παρὰ τ[ο]ῦ βασιλέως)* et in eodem genere numerantur atque reliqui possessores *(τ[οὺ]ς λοιποὺς πάντας τοὺς κεκτημένους ἀμπελῶνας ἢ παραδείσους ἢ ἐν δωρεαῖς ἔχοντας κτλ)* [1]). Clerum locare cleruchis licebat, cuius rei exempla supra prolata sunt. Sed ipse non est *γεωργὸς βασιλικός*, quamquam agrum regium tenet [2]). Cleri, qui dabantur a rege, diversi erant numero ararum. Inveniuntur enim in papyris haud raro cleri centum arurarum [3]),

natur, sed conductor, *γεωργός*, ea quae ante solverat cleruchο, tunc, clero a rege recepto, regi solvere iubetur. Scribendum est in b: *Ἀχόλπει. Τοῦ Ἀλκέτου αἰχμαλ[ώ]των κλ(ήρου) τοῦ ἀνειλημμένου εἰς τὸ βα(σιλικὸν) μετὰ τὸν σπόρον τοῦ δ ∟ περὶ Ψ. ἀνενήνοχεν κτλ* (W). cf. Ostr. I, p. 186. Simili modo pap. ed. a Mah. B. C. H. 1894, p. 145 l. 12/13 dicit de pecunia, quam conductor solvit cleruchο, non de tributis solvendis a cleruchο. Legendum est: *πρὸς τὰ ἐκφόρια, ἃ ὀφείλομεν [Νικάνδρου] τοῦ Σκαμάνδρου κλήρου.* Cf. Archiv für Papyrusforschung I p. 174. Denique P. P. II, 29 a, 9. 12. eodem spectat, ad eos, qui clerum quendam conduxerunt.

1) In errorem satis gravem incidit P. Meyer, Heerwesen p. 42, qui Ptolemaeo III. rege milites recentes cleris esse donatos ratus his temporibus clerum iam non esse regis sed legitime esse cleruchi dicit. Nam P. P. II, 29 a scriptum est *ἐν τῶι ἰδίωι κλ(ήρωι)*, quia eadem papyro commemorantur *γεωργοί*, qui alienum clerum colunt. Contra ille est cleruchus, qui clerum proprium habet. Quae P. Meyer profert ibidem de cleris receptis, testimoniis confirmari non possunt.

2) P. Meyer cleros Philadelpho rege locari non potuisse censet, p. 42. Testimonia desunt. Neque *τοὺς γεωργοὺς* officia et iura cleruchorum suscepisse demonstrari potest, p. 43.

3) Cleruchi huius ordinis significantur sigla ρ x, in qua signum alterum arurae est, ita ut legendum sit *ἑκατοντάρουρος*. Exempla collegi e P. P. sedecim, quae enumerare longum est.

qui erant maximi, interdum cleri viginti quattuor ararum[1]), qui minimi fuisse videntur, denique cleri triginta ararum[2]), unus octoginta[3]). Sed quanti quibus assignati sint, non facile perspicitur. Erant enim inter cleruchos homines diversorum ordinum, et equites et pedites, et praefecti et gregarii, et Macedones et aliunde orti vel Graeci vel barbari. Neque quod veri simile videri potest, cleros maximos viris dignissimis, praefectis equitum Macedonibus, addictos esse papyris docetur. Inter cleruchos centum ararum habemus Macedones tres[4]), Graecos quattuor, Thracem unum, reliqui nominibus Graecis cognoscuntur. Inter eos, qui cleruchi solum appellantur, tres Macedones obversantur; denique Macedo clerum 30 ararum tenuisse cernitur. Neque equitibus destinabantur cleri maximi, quantum quidem videmus, nam inter illos, qui cleruchi appellantur, non solum ilarchas habemus, sed etiam equites gregarios non deesse puto, cum in eadem papyro post cleruchum quendam tria nomina equitum legam, quos cleruchos esse veri simile est[5]). Praefecti inveniuntur inter eosdem cleruchos sex, duo equitum, quattuor peditum. Quo fit, ut cleros centum ararum nulli nisi equitibus Macedonibus vel praefectis fuisse concedere non possim. Fuit certe differentia inter clerum equitis et peditis[6]). Id quod inscriptione Smyrnaea[7]) illustratur, cum legimus: *καὶ*

---

[1]) P. P. II, 29 d.

[2]) P. P. II, introd. p. 36. 38 a.

[3]) P. P. II, 39 a numeri 20, 40, 50 non ad totum clerum sed ad aruras crotoni assignandas spectant. Alterum exemplum, quod P. Meyer exhibet, prava interpretatione verborum sibi paravit. Nam P. P. II, 29 a non est legendum *Πύῤῥανδρος Δημοσθένους μισθοφόρ(ος) π* (*ὀγδοηκοντάρουρος!*), sed *μισθοφόρ(ος) ἱπ(πεύς)*.

[4]) Quin P. P. II, 46 c cogitandum sit de Macedone, propter nomina non dubito.

[5]) P. P. II, 47.

[6]) P. P. II, 29 c. d. 36, 1. introd. p. 36 exemplo esse non possunt, quia verba *ἱππέως, πεζοῦ, πεζῶν* his locis non ad vocem cleri sed ad nomen cleruchi respiciunt, e. g.

II, 36: *τ]ῶι Ἀλεξάνδρου ἱππέως κλήρωι,*

II, 29 d: *Ἀχόλπει τοῦ Λυσανίου πεζοῦ κλ(ῆρον).*

[7]) Cig II, 3137 l. 102/103. Inscriptio argumento esse potest, quia iisdem fere temporibus conscripta est et quod res militares in regnis epigonorum plerumque iisdem legibus administratas esse perspicuum est.

ὅσοι αὐτῶν εἰσιν ἀκληρούχητοι, δοθῆναι αὐτοῖς κλῆρο[ν] ἱππικόν. Clerum equitis certum ararum numerum habuisse neque demonstrari potest neque veri simile est; tamen quin clerum peditis vel magnitudine vel fertilitate superaverit, vix dubitare licet propter minorem peditis dignitatem. Clero peditis 24 vel 30 aruras addicere non ausim, quia duo exempla non satis sunt, quibus res muniatur. Sed priusquam de generibus clerorum sententiam proponamus, exemplis, quae nobis sunt, exiguam partem clerorum et cleruchorum illustrari monere liceat, ita ut omnia nobis nota esse nemo contendere possit. Vox universa est *κληροῦχος*, is qui clerum tenet, magnitudine fundi non descripta. Hecatontaruros genus quoddam fuisse demonstratur maxime ea re, quod una eademque papyro milites significantur hi ρ x, illi *κληροῦχοι*[1]). Itaque cleruchos in universum aruras *τῶν* ρ x non attigisse certum esse videtur. Sed alia clerorum genera proferri non possunt. Ubicumque enim ararum numerus scriptus invenitur, causa facile est perspicienda. Papyri huius generis sunt de cleris vel receptis vel collocatis, vel alia ratio est, cur numerus ararum describatur[2]). Utrum ea genera comparanda sint cum illis, quae supra prodidi, cleris equitum vel peditum, an hecatontaruris exceptis cleri minores divisi sint in cleros equitum et peditum, nescio. Inter hecatontaruros saepe equites obversantur oculis, sed omnes esse equites demonstrari non potest[3]). Quo fit, ut clerum 100 ararum confundere cum clero equitis non liceat. Quibus perpensis haec verisimilia esse contendere ausim: Neque ortu vel Macedonico vel Graeco vel barbaro neque dignitate vel equitis vel peditis neque praefectura vel stipendiis gregariis leges certae constitutae erant, quibus cleri dispertirentur. Quam

---

[1]) Tamen hecatontaruros semper hoc nomine ornari necesse non est. Ubi non intererat viri superiorem dignitatem illustrare, ubi eum clerum habere exprimendum erat, vox cleruchi eidem satis esse poterat.

[2]) P. P. II, 38 a de agro collocato dicitur, quo fit, ut iugera proferri intersit. II, 46 a cleruchus vadem se suaque dat excepto clero pro amico, qui *ἀπόμοιραν* exigendam suscepit. Qua in re, ut res vadis perspicerentur, quantus esset clerus, exprimendum erat. Itemque de tributis iudicandum est II, introd. p. 36.

[3]) Id quod nunc a Meyero quoque confirmari (p. 38) gaudeo.

saepissime praefectos et equites praelatos esse non nego, sed ubicumque ϱ x legitur, praefectum vel equitem suspicari non licet. Cleros non omnes uno eodemque tempore datos esse[1]), quamquam papyris non plane demonstratur[2]), tamen re ipsa intellegi potest. Simulatque, quaecumque fuerunt causae, milites cleris ornandi visi sunt, rex quantum poterat, agris assignandis operam dedit. Sed cum non semper eadem copia agri adesset, cleri non semper eiusdem magnitudinis esse poterant, ita ut e. g. tunc praefecto clerus 100 arurarum assignaretur, cum nonnullis annis ante propter agros deficientes praefecti minoribus cleris contenti essent. Praeterea cleri fertilitate diversi erant, quam ob rem non semper maiore arurarum numero pretium maius indicatur. Tamen, quae supra exposui, hac ratione adhibita mutari nego; quia nusquam de hac re papyris docemur. Quin accesserint aliae rationes, quibus huic maior, illi minor clerus tribueretur, rationes nobis ignotae, minime dubito. Ne Macedones quidem, quod ex exemplis nobis traditis ·elici potest, praeferebantur ceteris clerorum magnitudine.

Quae exposui, ex eis papyris collegi, in quibus ipsa verba hecatontaruri vel cleruchi vel aliud quoddam genus clerorum et possessorum occurrant, ut quam solidissimo fundamento utar. Saepe, ubi vel brevi sermone vel papyri lacunis eiusmodi voces

---

[1]) Quibus de causis cleros diversis temporibus, ut res ferebant, datos esse censeam, alibi explicatum est. Hic moneo hanc sententiam non esse eandem quam Mahaffy explicat, Emp. 211. De ratione, qua in nomo Arsinoïtico agri parati sint, sententiam non proferam, quia rem diiudicari non posse nisi a teste oculato persuasum habeo. Sententiae diversae legi possunt apud Mah. Emp. p. 173 sqq. cf. Wilcken, Deutsche Littz. 1896 Sp. 1389. P. Meyer, p. 28 sqq.

[2]) Una pap. eo pertinere videtur, P. P. II, 39 a. Ubi legimus: *κλ(ῆρον) τῶν πρεσβυτέρων; ε[ἰ]ς τὸν Ἀσκλάπωνος καὶ Σωπάτρου πρεσβυτέρων κλήρους; — . . .] βασιλικὴν γῆν καὶ πρε[σβυτέρων κλήρους περ]ὶ Κερκεσοῦχα.* Erant igitur cleruchi quidam, qui appellabantur *πρεσβύτεροι.* Verbum interpretamur optime, cum cleros quosdam multo ante assignatos esse cogitamus, ita ut cleruchi quidam senioribus adiungi possent. Quas assignationes non bis, sed multas accidisse puto. Sed plane errat Mah., qui duo genera clerorum statuit, *κλήρους* et *πρεσβυτέρους κλήρους.* (Vocem „seniores“ non ad cleros sed ad cleruchos pertinere Grenf. docuit, qui lectionem falsam editoris correxit.) Quin etiam differentiam inter cleruchos et epigonos illis verbis significari opinari videtur. Id quod minime probandum esse hic dixisse sufficiat.

omittuntur, supplendas esse censeo. Quibus, quae supra scripta sunt confirmantur, nonnulla adduntur.

Inter eos, qui in testamentis et reliquis papyris commemorantur, numerus Macedonum satis magnus est, ita ut eos praeter ceteros cleris donatos esse veri simile fiat. Sed quamquam Macedones maiorem dignitatem obtinuisse constat, e papyris elici non potest. Habemus testamenta, quorum testes omnes fere Macedones sunt[1]), quam ob rem eos quasi nobilitatem inter se coniunctos fuisse dicat quispiam. Sed non ubique idem mos occurrit; alibi cleruchi Macedones et aliunde orti, maxime Graeci, mixti cernuntur[2]). Eodemque spectat, quod Macedones non saepius quam alii in praefecturis militaribus versati esse videntur. De Macedonum dignitate, quanta fuerit alibi maximeque Alexandriae, alio loco disserendum est. In cleris accipiendis et inter cleruchos eminuisse non videntur.

Praeter clerum cleruchi possidebant stathmum, id quod et testamentis et edictis quibusdam regiis plane perspicitur. Sed quid sit *σταθμός*, quaestio oritur. Vox apud auctores significat hospitium militibus designatum in oppidis, quod Germanice vertitur „Quartier“ [3]). Neque alio modo vertendum esse verbum

---

[1]) P. P. I, 20 omnes testes Macedones esse opinor; cf. Wilcken G. G. A. 1895 p. 165, ubi in pap. Leyd. O post sex testium nomina legendum esse *οἱ ἐξ Μακεδόνες* exponit. Sed quae adiungit, P. P. II, 47 item sex Macedones testium munere fungi, probare non possum, quia testium duo, nisi plures, aliunde orti sunt, appellantur enim *Ἀμφιπολίτης* et *Ἡρακλεώτης*. Quamquam secundum W. l. c. tam non origo Macedonica quam dignitas superior Macedonum et Graecorum exprimitur.

[2]) Sine dubio P. P. I, 11. 15. 19. P. Meyer, p. 36 sqq. inter hecatontaruros genera quaedam copiarum discernere posse sibi videtur, et Macedones et mercennarios et *τοῦ ἀγήματος* et phalangitas. Quorum ei soli, qui sunt *τοῦ ἀγήματος*, voce ipsa significantur. Sed papyri nihil dicunt de mercennariis, neque equitibus neque peditibus. Neque est, quod ei, qui sunt Macedones, seiungantur ab eis, qui aliunde orti sunt. Inter cleruchos, quantum videmus, huiusmodi differentia admittenda non est. P. P. II, 31 nihil docet nisi infra Memphin mercennarios quosdam et Macedones et alios cleris donatos esse, neque quidquam ex ea evinci potest de cleruchis Arsinoïticis. Ne id quidem apparet, utrum milites cleruchi facti disiungendi sint in genera, quibus ante erant inserti.

[3]) P. Meyer, Heerwesen, miram explicavit sententiam de stathmis. Philadelphum initio milites stathmis recipi iussisse, postea iisdem cleros datos esse,

in papyris docemur edicto regio, quod invenitur P. P. II, 12, 1 [1]). In urbe Crocodilopoli civibus quibusdam ἐπιστάται τῶν ἔργων quidam tectis recipiendi erant. Quamquam hoc loco non de militibus verba fiunt, tamen de eis eadem imperata fuisse paulo infra apparebit. Ut hoc onus effugerent, homines callidi et superiorem domum destruxerant et portas quasdam aris clauserant, ita ut domus ita affecta hospitio non satisfaceret, cum certae leges de altitudine domus, numero portarum, similibus constitutae essent [2]). Hac papyro strategus rem sanare iubetur, ita ut domus iterum erigantur, arae in loca aptiora transponantur [3]). Gravissima docemur hoc edicto, primum σταθμὸν esse domum hospitio designatam, deinde ἐπισταθμεύειν hoc loco esse in hospitia disponere; sed aliis locis vox significat in hospitio esse, ita ut non semper idem valeat vocabulum. Praeter locos in lexicis exhibitos cf. P. P. II, 8, 1 ante *A* (pap. ined.) μηθένα τῶν ἐπισταθμευόντων: neminem eorum, qui sunt in hospitio. Ἐπισταθμεύεσθαι nostro loco passive usurpatum significat hospitio onerari. Denique in nostra papyro κύριοι sunt illi, qui possident, non qui hospitio tenent. Quae res memoria teneantur. Illi qui hospitio recipiebantur, ἐπίσταθμοι appellabantur. Fieri poterat, ut discreparent sententiis οἱ κύριοι et οἱ ἐπίσταθμοι, quid illorum, quid horum esset. Cuius rei exemplum affert nobis P. P. II, 8, 2. Lis a chrematistis ita

---

cum opera in pago Limne appellato conficienda peracta essent. Sed huiusmodi opera non solum initio sed semper in illo pago opus erant, ita ut exempla a M. exhibita nihil prosint. Magis etiam in errorem perductus est ea re, quod vocem σταθμὸς non esse proprie dictam (Anm. 104), quin etiam eandem esse atque vocem κλῆρος (p. 43) opinatur. Quae sententia adeo abhorret a voce, ut scriptor ipse dubitasse videatur. Nam quae exponit de stathmis a Philadelpho initio assignatis, non concinunt cum eis, quae infra profert, cf. p. 47 Anm. 107. Ceterum auctor, quid sit clerus, stathmus, domus, non satis distinguit, nam p. 71 in pap. Lond. I, 45, l. 7 tractanda dicit: „er bezeichnet den vom Vater ererbten κλῆρος als ὑπαρχούσῃ (corrig. ὑπάρχουσα) μοι πατρικῇ οἰκία“ (οὐσία typographi errore).

[1]) cf. P. P. I, 26.

[2]) P. P. II, 8, 2 bis πύργος δίωρυφος commemoratur; nescio an domus duorum tabulatorum opus fuerit.

[3]) Quomodo res singulae huius papyri sint explicandae, in P. P. l. c. legendum est.

solvitur, ut iudices stathmo recepto (l. 4) denuo singulis partes assignent (l. 9 sqq.)[1]. Eodem spectat P. P. II, 8, 1 *B*, qua utrique et *τῷ κυρίῳ* et *τῷ ἐπιστάθμῳ* pars addicitur; qui iniuria arripuerit partem alteri addictam, multa multandus est[2]. Eadem papyro praeter domum interdum *περίβολα* data esse docemur, quae tecta minora circa domum sita fuisse censeo. Mirum est, quod hoc edicto ei, qui iniuria *περίβολον* arripuerit, multa gravior iniungitur quam ei, qui stathmum (*οἴκημα*) occupaverit. Quod verbo *οἴκημα* stathmus significatur, argumento est stathmum re vera domum esse. Cleruchi a rege donabantur *σταθμοῖς*, quamquam non omnes[3], neque omnes *σταθμοὶ* erant regii (*ἢ ἄλλως πως*). Sed contrarium videtur effici linea extrema alterius edicti, quam Mah. plane omisit, Wilck. ita scribit: *οἱ γὰρ [σταθ]μοί ε[ἰσι β]ασιλικοί.* Quae res facillime hunc in modum explanari potest: rex disposuit *σταθμούς*, h. e. hospitia in domos regias, quae regis erant vel a rege aedificabantur. Sed cum numerus cleruchorum augeretur, aliunde repetenda erant hospitia. Quo factum est, ut incolis quibusdam onus hospitii imponeretur[4]. Sed rex omnia hospitia, et illa, quae erant *ἐκ τοῦ βασιλικοῦ*, et quae *ἄλλως πως* donabantur, sibi subiecta suique iuris esse dicit. Itaque omnes *σταθμοί εἰσι βασιλικοί.* Cleruchis non licebat hospitia vendere neque pignori dare neque

---

[1]) Quem supra *ἐπίσταθμον* appellari dixi, hoc loco *σταθμοῦχος* dicitur, quo verbo clarissime patet, quibus differat a domino (*κύριος*). Fragmenta tria, quae hoc numero continentur, ita interpretor: a et b exhibent, quae gravatur ille, qui iniuria afflictus esse sibi videtur, c exhibet, quae iudicant chrematistae. l. $^{9}/_{10}$ et $^{11}/_{12}$ tradunt, quomodo partes seiungendae sint inter dominum et epistathmum. Addere liceat in l. 9 Wilckenium legere *Τιμαίωι Πετοβάστιος.*

[2]) Textus a Mah. ed. hunc in modum corrigendus est: *τῶν σταθμῶν καὶ τῶν περιβόλων τὰ μὲν [ἥ]μισῃ* (sic!) *τοὺς ἐπιστάθμους ἔχειν, τὰ δὲ ἥμισῃ τοὺς κυρίους* etc. (W.).

[3]) P. P. II, 8, 1 col A. Papyro continentur duo *προστάγματα,* quae de isdem rebus esse videntur. Prius ita incipit: *Ὅσοι ἔχου[σι στα]θμοὺς ἐκ τοῦ βασιλικοῦ ἢ ἄλλως πως ἐπισταθ[μεύον]ται.* (W.). Verbum *ἐπισταθμεύεσθαι* hic vertendum est: hospitio donari. Praeterea locus non omnibus stathmos fuisse docet.

[4]) Invenimus homines Aegyptios huic oneri addictos P. P. II, 8, 2. Difficile fuisse milites disponere, e P. P. II, 12, 1 elucet; queritur enim minister regius: *ἐπεὶ στενοχωροῦμεν σταθμοῖς.*

mutuari hospitio pignori dato, id quod P. P. II, 8, 1 summa severitate a rege edicitur[1]). Si clerus ipse receptus erat, *ὁ σταθμὸς* regis erat[2]). Quo magis licet mirari, quod cleruchi hospitium testamento tradidisse videntur, non solum filio[3]) sed etiam uxori vel filiae[4]). Quin *σταθμὸς* fuerit regis, non cleruchi, dubitare non possumus[5]). Itaque, ubicumque in testamentis stathmus heredi traditur, hoc factum esse eo pacto, ut iura regis servarentur stathmumque recipere liceret regi, videtur. Nam *προςτάγματα* supra commemorata stathmos regios esse ita exprimunt, ut cleruch0 potestatem tradendi fuisse contendi non possit.

Quibus peractis quaestionem, quid fuerint hospitia militum, solvere studeamus. Sine dubio non erant hospitia in tempus breve destinata, quia testamentis talia tradi vix cogitari potest. Fuerunt certe *οἱ σταθμοὶ* domus militibus addictae, quibus perpetuis uterentur. Maxime nixus P. P. II, 12 rem explicandam esse censeo hunc in modum: in capite[6]) nomi illius, quem cleruchi incolebant, multis vel domus regiae vel domus

---

[1]) Verba sunt haec:

Βασιλέω[ς Πτολεμα]ί[ου] π[ρος]τάξαντος
τῶν σ[ταθμοὺ]ς ἐχόντ[ων] ἱππέων μηθένα
πωλεῖ[ν] τὸν σταθμὸν μ[ηδὲ] ὑποτιθέναι
. . .
μηδ[ὲ ἐπιδανεί?]ζεσθαι [ἀρ]γύριον ἐπὶ τῶι σταθμῶι [τρ]όπωι
τιν' οὖν κτλ (W.).

[2]) P. P. II, 8, 3. Rex ipse de eis iudicare vult, *ἕως ἂν ὁ βασιλεὺς π[ερὶ] τούτων ἐπισκ[έψηται.* Accidisse videtur, ut homines quidam clero aliquo recepto hospitia arripere studerent per varias causas. Nam qui iniuria domum occupaverit, mercedem (*ἐνοίκιον*) solvere iubetur eius temporis, quod illic degit. Quin etiam stathmum vacuum expetere non licet: l. 7. *ἐὰν] δέ τινες [αἰ]τήσωνται.*

[3]) P. P. I, 11. l. 9/10 legas: *καταλείπω τ[ὸν σταθμὸν ὃν ἔλαβον ἐκ] τοῦ βασιλικοῦ* (W.). Eodem spectare videtur I, 14.

[4]) P. P. I, 17, 2.

[5]) P. P. I, 17, 1. Nam l. 20 disiunguntur [*τὰ ὑπάρχοντά*] *μοι πάντα καὶ τὸν σταθμόν.* Itaque stathmum non fuisse inter *τὰ ὑπάρχοντα* patet. Id quod plane neglexisse videtur P. Meyer, p. 43, qni stathmum = clerum anno vicesimo altero Euergetae prioris insertum esse inter *τὰ ὑπάρχοντα* censet. Re vera, ubi deest vox *σταθμὸς* vel *κλῆρος* in testamentis, de stathmo vel clero heredi traditis cogitare minime licet.

[6]) Cum Arsinoïticus satis magnus esset, fortasse non solum in capite sed etiam in vicis nonnullis stathmi fuerunt, ne nimis longe abessent ab agris cleruchorum.

civium assignatae sunt. Non solum cleruchos saepissime e vicis Crocodilopolim contendisse rerum agendarum causa per se veri simile est, sed etiam rei militari usui esse poterat cleruchis hac in urbe receptacula patere. Quotienscumque ad arma convocati sunt, in caput nomi omnes coacti ad signa se contulerunt, et legiones celerrime restitui poterant, si quam plurimis hospitia erant. Quae res multo difficilior erat, si singulis tum primum, bello indicto, hospitia assignari oportebat. Quae quamquam e verbis papyrorum non elucent, proferre non omisi, ut rem explanare viderer; nihil esse nisi opinionem ipse non ignoro.

Hospitia ut non omnibus ita non una cum clero a rege data esse videntur, cum respicimus, quanta de hospitiis praescribantur, ne cleris a rege receptis ab aliis occupentur. Quibus non eodem pacto quo cleros data esse demonstrari videtur. Id quod maxime elucet e P. P. II, 8, 1 B, qua rex suum esse hospitia edere affirmat his verbis: *τῶν τοὺς κλήρους ἀφειρημένων ἱππέων οἱ σταθμοὶ περιέστωσαν τῶι βασιλεῖ, ἐὰν μή τισιν ἡμεῖς ἐπ' ὀνόματος ἐπιστείλωμεν δ[ιδ]όναι.* Stathmos non una cum cleris editos esse opinor, quia in hoc edicto eos separatos esse a cleris videmus.

Denique non cleruchis solis stathmos fuisse commemorare satis est. Exempla aliunde repetenda non desunt; sed ne hoc loco aliena asseram, ea verba proferam, quae legimus Lond. I, 106 (p. 60/1): *σταθμοδοθητέντος γάρ μου ὑπὸ Μοσχίωνος.* Quae sunt de milite quodam navali.

Cleruchos praeter cleros stipendia accepisse veri simile est; nam cleri et circuitu et fertilitate diversi non ita distributi erant, ut summo cuique et aetate et dignitate clerus maximus contingeret. Itaque stipendia eos habuisse opinor, ut hunc in modum iniquitas sanaretur, quae in cleris assignandis evitari non poterat. Praeterea occurrunt in papyris *τακτόμισθοι*, qui cleruchi esse videntur. Nam ubicumque in papyris vox *τακτόμισθος* occurrit, sive de cleruchо dicitur sive nominibus et tenore papyri inducimur, ut mercennarios non esse opinemur. Ita legimus *παρὰ Ἱστιαίου* [. . . . .] *τῶν Μαραίου τακτομίσθου κληρούχου*[1]), *Διονυσόδωρος* [. . .] *Ἀνδρομάχειος τῶν Ἀριστάρχου*

---

[1]) P. P. II, 47, 7. l. 27—29 tres milites Graeci, *οἱ τρεῖς τῶν Μαραίου*

[τα]κτόμισθος κληροῦχος[1]). Verbum κληροῦχος deest certe duobus locis: *Πτολεμαῖος Πτολεμαίου Μακε[δὼν] [Δ]ημ[η]τρίωι Σώσου Κρητὶ τῶν πρότε[ρον] Εὐμήλου τακτομίσθωι χαίρειν*[2]). Iisdem fere temporibus, Philometore rege, in nomo Pathyritico *τακτόμισθος* quidam invenitur: . . .] *τάξεως πεζῶν τακτόμισθος ὡς ἐτῶν* etc.[3]). Hoc loco de mercennario verba fieri plane negari non potest, tamen vox *τακτόμισθος* non est eadem atque *μισθοφόρος*. Id quod recentissime confirmatur papyro anno 123 a. Ch. n. conscripta, quam publici iuris fecerunt Grenf. Hunt Archiv f. Pap. I, p. 62. Nam hoc in testamento Aegyptii cuiusdam, qui vocatur *Παχνοῦβις Τασκοῦ*, testes sunt sex, quorum quinque nomina exstant. Tres sunt *Πέρσαι τῶν μισθοφόρων ἱππέων*, unus *Πέρσης τῶν πεζῶν*, unus est Esthladas Drytonis filius cives Ptolemaïdis. Qui omnes appellantur *οἱ ἐξ τακ[τ]όμι(σθοι)*. Itaque vox *τακτόμισθος* idem significare atque *μισθοφόρος* non potest. Fortasse eis cleri erant ut illis, quos supra memoravi, et stipendium fixum praeterea solvebatur. Qua re superabant dignitate reliquos equites vel pedites stipendiarios, id quod bene concinit cum eis, quae novimus de Drytone[4]) et filio Esthlada. Nam hic quoque ut *Πτολεμαιεὺς* locum prominentem obtinet. Recte Mah. explicare vocem videtur: *ὁ ἐπὶ τακτῷ μισθῷ στρατευόμενος*. Fortasse *τακτόμισθοι* fuerunt genus quoddam militum, quibus certum stipendium omnibusque idem solveretur praeter clerum, ita ut cleris assignandis differentia, quam esse oportebat secundum dignitatem et annos militiae, expleretur. In reliquis cleruchis vice versa differentia agri stipendiis aequabatur. Sed nihil nisi opinionem protulisse me ipse non nescio[5]).

τακτόμισθοι [*κληροῦχοι*?]. Fortasse Maraei milites omnes erant *τακτόμισθοι*.

1) P. P. I, 19. 14: *τακτό]μισθος κληροῦχος*. 22: *Θεαρίστιος Κυρηναῖος τῶν περὶ Λυσίμαχον τ[α]κ[τομίσθων?]* His tribus locis vox illa a Wilck. restituta est cf. G. G. A. 1895. Si recte suppleverit in 22, praeter Maraei Lysimachi quoque manum militum *τακτομίσθων* fuisse veri simile fit.

2) Pap. Leyd. C., idem Demetrius apud Lond. I, 17 c, 37 (p. 11).

3) Grenf. Greek Pap. I, 10, 8. Eiusdem saeculi exemplum Lond. II, 219 a.

4) Gr. Pap. I, 12.

5) P. Meyer, Heerwesen, p. 26 et 66 *τακτομίσθους* eosdem esse quos *γραμματέας* (Zahlmeister) censet. Sed plane neglegit vocem *κληροῦχος*, quae

Cleri militibus non nisi certis legibus atque condicionibus dati esse videntur. Quarum unam fuisse, ut uxores Graecas ducerent, Mah. censuit[1]), quia saepe in testamentis nomina feminarum originem Graecam indicant. Quo accedit, quod haud raro uxori omnia testamenta traduntur. Nomen atque praemia cleruchorum eis contigisse, qui ex uxoribus Graecis pueros sanguine Graeco gignendos curarent[2]). Sed non semper omnia uxori relicta sunt[3]). Quin etiam, ubi filius erat, huic res cleruchi testamento addictae esse videntur, nisi omnes tamen gravissimae, uxori quae relinquebantur[4]). Ubi filius deerat, uxorem vel filiam priorem locum obtinuisse per se patet. Neque desunt testamenta, quibus hominibus alienis provideatur[5]). Cum cle-

tribus locis adicitur. Scribas copiarum cleruchos esse vix cogitari potest. Accedit, quod vox *τακτόμισθος* ipsa nullo modo significare potest: is, qui *μισθὸν τάσσει*. Ita enim explicanda est, si ad scribas eam spectare opinatur quis. Neque umquam versari *τακτομίσθους* in muneribus scribarum videmus.

[1]) P. P. II, introd. p. 19. Comparat cleruchos cum catoecis, qui postea commemorantur. Hos enim feminas barbaras in matrimonium duxisse veri simile est.

[2]) Vox Graeci non intellegenda est de solis Graecis, sed de omnibus, qui extra Aegyptum orti morum Graecorum participes erant. Sunt enim inter cleruchos barbari, quos humanitatem quandam attigisse veri simile est.

[3]) Fortasse exempla certa plane desunt. Nam P. P. I, 17, 1 nihil de herede evinci potest; 17, 2 filius esse videtur. I, 18, 1 ita supplendam esse puto, ut *τὰ ὑπάρχοντά μοι πάντα* filio cuidam contingant, domus quaedam in Caminis sita et *τὰ συμβόλαια* uxori. Exemplum esse videtur P. P. II, intr. p. 23.

[4]) Sine dubio filius priorem locum obtinet P. P. I, 15, 16: *οἱ υἱοὶ καὶ ἡ γυνή μου*. I, 14, 10 sqq; nam l. 13 verbis *τ]ῆι ἐμῆ[ι γ]υναικὶ ἐξέστω ἐνοικεῖν* demonstratur, quae antecedunt non uxori sed filio addicta esse. Similiter I, 12 filius antecedit. Filius solus heres est I, 11, 10.

[5]) Non mirum est, quod interdum testamentis servi liberantur vel paelices donantur. I, 21 qui sint heredes, dubitari potest. I, 19 testator, qui omnia Axiotheae tradit, miles esse non videtur. Contra sine dubio I, 13 miles quidam omnia feminae, quae non est uxor, tradit, cf. G. G. A. 1895, p. 135. Addere liceat l. 10 vocem *Μακέται*, quam Revillout, Mél. p. 408 ita mutando interpretatur: *τῶι υἱῶι ἐμαυτοῦ ὃς παρὰ Π]ύρρου μάχεται*, alienam esse a verbo *μάχεσθαι*. Nam si concesserim *κ* scriptum esse pro *χ*, tamen formula plane inusitata relinquitur. *Μακέται* est dativus vocis *Μάκετα*, quae significat feminam Macedonicam cf. Steph. Byz. s. *Μακεδονία*. Voce *Μακέται* hoc loco feminam significari, quamquam *Μακέτας* et virum et feminam spectare potest, opinor ob eam rem, quia viri semper appellantur *Μακεδόνες*. Femina originis Macedonicae nusquam, nisi fallor, in papyris commemoratur, nisi hoc uno loco.

ruchis in testamentis conscribendis leges quasdam impositas esse minime probetur et non semper uxores heredes sint, uxores Graecas magni aestimatas esse e testamentis elici non potest. Neque opus erat matrimonia Graeca imperare, cum non dubium esse videatur, quin milites commercio quodam cum patria coniuncti sint.

Quin cleruchis, ut omnibus, qui in Aegypto agros colebant, tributa quaedam solvenda fuerint, non dubito. Sed quanta cuiusque generis fuerint, non satis patet. Primum quidem hoc urguendum est vocem *ἐκφόριον*, quae in papyris obversatur, non spectare ad tributum a possessore regi solutum, sed possessori solutum ab eo, qui agros conduxerat [1]. Itaque loci, quibus illa vox cernitur, nihil docent de tributis cleruchorum. Quae inveniri possunt, sunt fere haec. P. P. II, 39 e tributa quaedam enumerantur, quae solvantur non a cleruchis sed a pueris orphanis. Tamen, si orphanis cleri erant, sine dubio eadem solvebant atque cleruchi ipsi. Inter quae legimus *τριηράρχημα, διάχωμα, βύρσης, φυλακιτικόν, ἀνιππίας, λειτουργικόν, στεφάνου, φόρον ἵππων. Τριηράρχημα* [2] fortasse erat solvendum, ut naves custodientes flumen (*φυλακίδες*) compararentur, *διάχωμα* de aggeribus fluminis esse videtur. Vocem *ἀνιππίας* adhuc nemo satis interpretatus est [3]; itemque quid sibi velit

---

[1]) Res nunc exponitur Ostr. I, p. 186. Itaque P. P. II, 29 b. c. d. de cleris receptis ita decernitur, ut *ἐκφόριον,* quod ille, qui conduxit, ante solvebat clerucho, tunc solvendum sit regi. Si recte rem intellego, onera eius, qui conduxit, clero recepto ne abolita sint, hoc edicto regis praescribitur. Verba pap. sunt: *ἀπομετρηθήτω οὖν εἰς τὸ βασιλικὸν τὸ προγεγραμμένον ἐκφόριον.* P. P. II, 29 a quoque non ad tributa cleruchorum sed ad tributa conductorum spectat.

[2]) Ostr. I, 400.

[3]) Quae dicit Revillout, Mél. p. 310, probare non possum. Nam res enumeratas non esse orphanis adiuvandis solutas, sed solvendas esse ab orphanis patere videtur. Vocem *ἀνιππίας* vertit: la taxe des transports par chevaux. Sed verbum *ἀνιππεύειν,* se promener à cheval, poeticum est, nisi fallor, quam ob rem usui esse non potest. Hoc tributum non esse solutum, quia puero equus deerat, for having no horse, Mah. et Wilck. recte monent. Nam idem homo solvit *ἀνιππίας* et *φόρον ἵππων*. W. admonet de Herod. II, 108, ubi *ἄνιππος* est regio equis non apta. Sed tributum pertinere ad vias emendandas, ita, ut equi incedere possint, dicere maxime dubitaverim. cf. Ostr. I, 344.

φόρος ἵππων, non satis perspicio[1]). Praeterea cleruchi obnoxii erant tributo de vineis hortisque solvendo eiusdem regis iussu, parti sextae ex vineis et hortis. Decimam, non sextam solvisse videntur cleruchi ex edicto regis anno 27. conscripto, cum anno 23. omnibus sexta imponatur. Quam difficultatem ita explicari censeo, ut edicto postero cleruchis et nonnullis aliis onus levatum sit[2]). Cleruchos vel eorum colonos illud tributum re vera solvisse docemur papyro Ptol. III. rege anno 4. orta, P. P. II, 29 a[3]). Quaecumque habebant vel colebant cleruchi, conscribenda erant tributi imperandi causa; voces sunt *ἀπογράφεσθαι* et *ἀπογραφή*, cf. Rev. pap. col. 36. Denique altero a. Ch. n. saeculo invenitur tributum incertum: *εἰς τὴν κα* (?) *τῶν κλη(ρούχων?)* Ostr. II, 1496.

Aetate cleruchorum perspecta Mah. de veteranis cogitandum esse putat[4]). Quaestio satis gravis est, nam maxime interest, utrum cleri dispertiti sint praemio veteranis an victui illis, qui bello inito arma ferre deberent. Primum quidem quae de cleruchis ipsis tradita sint, perpendamus, deinde res et epigonorum et catoecorum perlustremus, quas necessitate perspicua coniunctas esse cleruchis censeo, denique exempla ex aliis regnis

---

[1]) Si quis dicat, ea voce significari pecuniam solvendam eis cleruchis, qui equum non habeant, quamquam sint obnoxii, cleruchis a rege equos nutriendos et exercendos datos esse meminerit, cf. P. P. II, 35 a. Novimus fuisse *ἱπποσκόπους*, qui equos bene nutriendos curarent, eos, qui neglegerent, punirent, cf. P. P. I, p. [34]. Strab. 752 similia narrantur de Macedonibus Apameae collocatis.

[2]) Haec leguntur Rev. pap. col. 24 et 36. Rem amplius tractare meum non est. Addere liceat, quae col 24/25 colonis (*γεωργοί*) imperantur, ut vineas colant non sine consensu publicani et oeconomi, fortasse cleruchos quoque spectare.

[3]) Utrum Demetria, l. 11, sit uxor cleruchi necne, nescio.

[4]) Empire p. 211. Quae sententia iam epitomis recepta est, cf. Bauer, Handbuch der Kriegsalt. p. 445, 455. Recentissime Mah. vocem „veterans" prave versam esse ab eis, qui milites emeritos ea significari censeant; se ipsum de emeritis non cogitasse contendit in libro Hist. of Egypt. IV, p. 90, 1. Sed l. supra c. ipse dicit, postquam Diod. I, 32 protulit, haec: *This makes these landholders active soldiers, as Wilcken thinks the κληροῦχοι of the Fayyum were intended to be. I do not believe in a set of men mostly over sixty (as we know from their wills) being more than veterans, perhaps liable to keep horses for the state and to be called out upon a great emergency.*

deprompta conferamus[1]). Plures cleruchorum, quos novimus, aetate provectos esse nemo est, quin facile intellegat[2]). Sed illis temporibus aetatem vel septuaginta annorum militiae impedimento non fuisse, quae narrantur de clarissimis illis argyraspidibus, demonstrant. Viri per totam vitam armis dediti, quamquam *ἀκμή*, quam vocabant Graeci, praetercesserat, idonei esse poterant, qui arma ferrent. Neque quae nostris temporibus rebus plane mutatis valent, illuc respiciunt. Sed inveniuntur inter cleruchos homines viginti quinque annorum vel undetriginta unus[3]), triginta annorum duo, triginta quinque unus, quadraginta duo, quadraginta quinque duo. Hos ut veteranos a rege praemio cleri donatos esse mihi persuadere non possum. Quod plures iam superaverunt annum quinquagesimum, mirari non licet. Nam primum quidem, cum cleri darentur a rege, milites aetate provectos praeter ceteros respectos esse non est quod demonstretur. Deinde plurima tradi testamentis ne obliviscamur. Quae quamquam iuvenibus constituere licebat, tamen homines aetate provectos saepius scripsisse facile intellegitur. Itaque, cum legimus de cleruchο septuaginta quinque annorum compluribusque quinquaginta vel sexaginta annorum, non habemus, quod de veteranis cogitemus. Accedit, quod cleruchi persaepe legiones vel turmas, quibus sint addicti, proferunt neque ullo verbo de priore militia agi nuntiant. Legimus e. g. *Ἀριστόδημος Ἀχαιὸς τῶν Ταυρίσκου ϱ* x, [*ὁ δεῖνα Δι*]*καιάρχου Φιλαδέλφειος τῶν Ἱπποκράτο*[*υς τῆς*] *τετάρτης ἱππαρχίας ἑκατοντάρουρος*[4]). Exempla passim obversantur; viginti fere no-

[1]) Quod scribit Joseph. ant. XI, 8, 6, quamquam bene concinit cum mea sententia, documento esse non censeo, quia Josephi verba *φρουρεῖν τὴν χώραν* non tam bene perpensa esse existimo. Quae attinent ad epigonos et catoecos, illic explicantur, ubi haec militum genera amplius tractantur. Ne eadem bis proferam, hoc loco cleruchos solos perlustrabo, quam ob rem peto, ut his perlectis illuc prospicias.

[2]) Huius rei et omnium, quae sequuntur, exempla passim obversantur in P. P. Quare singula proferre supervacaneum esse duxi.

[3]) Exempla non sunt publici iuris, cf. Dt. Littz. 1896, Sp. 1389.

[4]) Non dici de legionibus etc., quibus antea assignati fuerint, sed illis ipsis temporibus Aristodemum Taurisci signa sequi demonstratur duobus locis, quibus militem antea legioni cuidam addictum fuisse dicitur: Pap. Leyd. p. 21 [*Δ*]*ημ*[*η*]*τρίῳ Σώσου Κρητὶ τῶν πρότε*[*ρον*] *Εὐμήλου ταχτομίσθῳ* et Lond.

mina praefectorum ita commemorata inveni. Itaque cleruchos in legiones et hipparchias dispositos esse patet, id quod usui non erat, si veterani cogitantur, necessarium, si cleruchos milites fuisse concedimus[1]. Utrum cleruchi, cum clero donarentur, manserint in priore legione an fuerint legiones cleruchorum, quibus tum primum assignarentur, dubito, cf. P. P. II, 46 a, de qua alio loco. Denique veteranis cleros dari consentaneum atque aequum est. Sed illis non solum cleri sed etiam *σταθμοὶ* erant, quae hospitia militaria esse exposui. Cur veteranis tribuantur, vix intellegi potest, cur militibus, patet. Non desunt inter cleruchos, quos novimus, qui honores militares attigerint. Qui in testamentis vel alibi dignitatem profitentur ita, ut non defunctos esse muneribus sed adhuc administrare eluceat. Graeci enim aliquem munere defunctum esse aoristo vel perfecto verbi significabant; cuius rei exempla in inscriptionibus saepe numero legimus[2]. Contra cleruchi hunc in modum nomina atque praefecturas pronuntiant: *Μελέαγρος Ἰλλύριος τῶν Εὐμένους πενταχοσίαρχος* vel *Καλλίμαχος . . . . χιλίαρχος τῶν Εὐρυμέδοντος κληροῦχος* vel *Ἡρακλ[είδης?] ἰλάρχης κληροῦχος*. Quare mea quidem sententia de muneribus peractis

---

I, 17 c *Δημητρίωι Σώσω Κρητεὶ τῶν πρότερον Εὐμήλου.* Itaque verbum *πρότερον,* sive adest sive deest, rem decernit.

[1]) Facere non possum, quin paucis obstringam, quae P. Meyer dicit de hac re, p. 39. Hecatontaruros solos hipparchiis addictos esse censet. Sed inter hecatontaruros nonnullos inserit, quos 100 aruras habuisse nusquam legitur, cf. exempla eius 15 et 16—22, ubi *ὡσαύτως* non ad *ρ* x spectat. Nam pro *ἱπ(παρχίας) πρ(ώτης)* P. P. II, 35 *ἵπ(πον) πρ(. . .)* scribendum esse Wilckenius monet. Praeterea vocem *ἱππαρχία* ad militiam praeteritam spectare opinatur Meyer, id quod credi non potest, nisi demonstratur. Sed in errorem multo graviorem incidit, cum ib. coloniam militum divisam esse in cleruchias dicit. Exemplum plane deest, nam P. P. II, [37] c Mah. scripsit *λ* x *τῆς ζ χ́*; certe non *τῆς ζ κλ(ηρουχίας)*, sed pars quaedam exercitus intellegenda est, fortasse *τῆς ζ χι(λιαρχίας)*. Itaque illae cleruchiae removendae sunt.

[2]) Saepissime invenitur *γυμνασιαρχήσας*. De praefectis militum cf. Cig. III, 4714 *τῶν κεχειλιαρχηκότων.* Clarissime autem res perspici potest apud Hyperidem, Lycophr. 14, ubi dicit: *πρῶτον μὲν φύλαρχον ἐχειροτονήσατε, ἔπειτα εἰς Λῆμνον ἵππαρχον,* post *ἦρξα μὲν αὐτόθι δυ' ἔτη τῶν πώποθ' ἱππαρχηκότων μόνος*. Quae novimus de cleruchis Atheniensium Lemni collocatis, comparare possumus cum cleruchis Lagidarum. Lemni non erant veterani, sed milites agris donati praefectis militaribus subditi, cf. Ephem.

cogitare non licet; nam quomodo discribendus erat praefectus, qui erat, ab eo, qui in otium recesserat, nisi ita, ut illi vox muneris tribueretur, hic verbo adiecto vel mutato significaretur? Itaque, quaecumque de cleruchis ipsis papyris traduntur, suadere videntur, ut non veteranos sed milites esse arbitremur [1]). Praeterea non solum praefectos arma gessisse illis locis demonstratur, sed etiam cleruchos omnes, eos quoque, qui praefecturam non assecuti sint, milites, non veteranos esse clarissime elucet e loco Rev. pap. col. 24, 6/7: [κα]ὶ τῶν στρατευομένων καὶ τοὺ[ς . . . .] κλήρους πεφυτευκότων. *στρατευόμενοι* et *πεφυτευκότες* iidem esse constructione verborum demonstrantur. *στρατευόμενοι* nullo pacto veterani esse possunt propter verbi sententiam; cf. praeterea pap. Paris. 63, in qua ea voce omnes, qui stipendia merentur, significantur, non veterani. Itaque hoc loco cleruchos inter milites, non inter veteranos haberi ipsis verbis confirmatur ita, ut, si quae ante exposui, obscura essent, haec satis essent, quibus sententia defenderetur. Grenf. ipse illis verbis sententiam iam a Wilck. prolatam confirmari dicit. Res bene concinit cum more a pristinis Aegypti regibus instituto [2]), quamquam mos ille argumento non est,

---

arch. 1884 p. 194 tesseram. Videmus igitur terminos diligenter distinctos esse. Praeterea Strack, Dyn. Ptol. p. 274 Nr. 170 *στρατηγῶν καὶ ἐστρα[τηγηκότων*. Cig. II, 2930 inscr. Trallensis *στρατηγήσαντα τὴν νυκτερινὴν στρατηγίαν*. Grenf. Gr. Pap. I, 18. 19. *Δρύτωνος τοῦ Παμφίλου Κρητὸς τῶν τοῦ ἐπιτάγματος ἱππάρχου ἐπ' ἀνδρῶν καὶ διαδόχων*. Grenf. dicit de titulo *ἱππ. ἐπ' ἀνδρῶν*: ***the person in question had served as a cavalry officer but had retired from active service.*** Verba illa hunc in modum interpretanda esse nego, neque e sententia de praefecto defuncto agi elucere videtur.

[1]) Recentissime P. Meyer quoque cleruchos esse milites emeritos putat, p. 35. Secernit enim duo genera militum, *σύνταγμα,* exercitum expeditum, et *ἐπίταγμα*, milites emeritos, qui bello exorto ad arma convocari possint, p. 27. Rem ipsam iterum non tractabo. Sed quomodo inciderit in vocem *ἐπίταγμα,* admiror. Nam primum quidem exempla e papyris deprompta non spectant nisi ad tempora Euergetae II., neque ullo verbo sententiam auctoris de voce *ἐπίταγμα* constitutam probant. Polybii autem locus, quem profert, V, 53, 5, neque est de copiis Lagidarum neque quid fuerit *ἐπίταγμα,* docet. Neque Strabo, ubi verba facit de exercitu Aegyptio, qui fuerit Augusti aetate, *ἐπίταγμα* commemorat, p. 797. Quantum novisse possumus, *ἐπίταγμα* erat genus quoddam copiarum raro commemoratum; quid fuerit, plane nescimus.

[2]) Diod. I, 32.

quia res militares Alexandri et Macedonum exemplis moderabantur.

Secundo a. Ch. n. saeculo raro modo cleruchi inveniuntur. Dubito an multi fuerint; sed eadem fortuna, quae papyros ad cleruchos pertinentes saeculi tertii satis multas dedit, ad catoecos nullas, secundi saeculi multa aperuit, quae attinent ad catoecos, ad cleruchos nulla fere. In Thebaïde cleruchi fuerunt, quos stephani tributum solvere videmus[1]). Eodem fortasse spectant testamenta duo Drytonis equitis. Utrum cleruchus fuerit an catoecus, discerni vix potest; quin testamenta similia sint testamentorum cleruchicorum, non est dubium[2]).

Nomen cleruchorum, postquam Romani Aegyptum in dicionem redegerunt, conservatum est, sed magis agri colendi quam belli gerendi causa. Rem amplius describere meum esse non existimo.

Τῆς ἐπιγονῆς.

Praeter cleruchos in P. P. inveniuntur haud raro homines, qui appellantur *τῆς ἐπιγονῆς*. Nam hunc in modum significantur, non *ἐπίγονοι*. Quam ob rem, ne diversa miscere videar, primum de eis solis, qui sunt *τῆς ἐπιγονῆς*, verba faciam. Mahaffy eos in alio genere atque cleruchos habendos esse ratus a Ptolemaeo III. denuo fundos datos esse filiis Graecorum vel Macedonum dicit. Cum priores a Ptolemaeo II. donati appellarentur cleruchi, posterioribus nomen *τῆς ἐπιγονῆς* inditum esse[3]). Inter testes et cleruchos et homines *τῆς ἐπιγονῆς* separatos cerni, qua re genera diversa esse domonstrari[4]). Ut quaestio recte

---

[1]) Ostr. II, 1496. 1528. Cleruchus quidam nomine Thracico inditus patris nomen Aegyptium profert. Fortasse pater non erat origine Aegyptius, sed nomen Aegyptium receperat.

[2]) Grenf. I, 12. 21. Pap. sunt ortae Crocodilon poli in Thebaïde. Uxor Drytonis prior est *ἀστή*, altera Cyrenaïca. Res heredi filio traduntur testamentis, quamquam satis magna pecunia inter filias distribuitur.

[3]) Emp. p. 211. P. P. I, introd. p. 26. Sed sibi ipsi non constat, cf. P. P. I, 11. Emp. p. 213. Hic enim dicit: *It does not appear that the κλῆρος was included in such bequests; it may have been entailed on the eldest son.* Quid est, quod filius non appelletur *τῆς ἐπιγονῆς*?

[4]) Errat Mah., nam P. P. I, 19 habemus inter testes hecatontaruros duos,

tractetur, primum nonnulla, quae e P. P. elucent, congerere liceat. Aeque atque cleruchi significantur ei, qui sunt τῆς ἐπιγονῆς, unde originem ducant. Neque discrepantia inveniri potest, nam et Macedones [1]) et Graeci [2]) et barbari [3]) obversantur. Quod Macedonum numerus exiguus est, in papyris non ratione sed forte conservatis mirari non licet. Contra dubium esse non potest, quin aetate differant a cleruchis, qui aetate provectiores sunt, quamquam iuvenes non deesse supra admonui. Inter epigonos video unum annorum 24, unum 28; triginta annos nati sunt quattuor, totidem annum quadragesimum attigerunt, unus habet 45, denique unus 60 annos. Sed dicat quispiam hoc non esse magni momenti, quia hos cognoscamus paulo postquam agris donati sint, cum cleruchi iam multis annis ante in cleros deducti fuerint. Cleruchos, cum cleris ornarentur, aetatem τῆς ἐπιγονῆς non superavisse. Qua interpretatione opus non esse infra demonstrandum erit. Sed intercedunt alia inter eos. Cleruchos saepe vel legionem, cui sint addicti, vel praefecturam militarem in papyris profiteri meminimus. Qui sunt τῆς ἐπιγονῆς numquam [4]). Tamen eos fuisse paganos, non milites papyris perlustratis veri simile esse non videtur. Nam adeo coniuncti sunt cleruchis, adeo una cum cleruchis agunt in testamentis vel alibi, ut eos quoque militiae fuisse addictos censeam. Cleruchi et homines τῆς ἐπιγονῆς ordinem quasi superiorem incolarum implent, qui ab Aegyptiis et paganis discrepat. Rationes aliunde petendas, quibus eos milites fuisse plane demonstrari potest, hic omitto, id quod supra exposui. Neque opus sunt, quia eos milites esse nemo fere negaverit [5]).

---

cleruchum unum, τῆς ἐπιγονῆς duos, Macedonem, quem τῆς ἐπιγονῆς fuisse demonstrari non potest.

[1]) I, 16, 1a. 19. 27.

[2]) I, 11. 14. 16, 1a. 17, 1a. 19. 28, 1. II, 38a.

[3]) I, 19 testes 2 et 3. 21. II, 25h. 47. fortasse 46b.

[4]) Id quod exemplis supra collatis facile probari potest, quam ob rem omnes locos, quibus τῆς ἐπιγονῆς scriptum legitur, proferendos esse non existimavi.

[5]) Sed nunc eos milites non fuisse P. Meyer contendit p. 44 sqq. Rationibus aliis dilatis id modo liceat interrogare: Qua re permoti sunt reges,

Vox ipsa significat eos, qui sunt sequentis generis. Neque quidquam probabilius esse potest, quam hac voce eos significari, qui sint genus secutum cleruchos, quibuscum arte coniuncti esse videntur. Id quod amplius explicare mihi liceat. Cleruchos in testamentis, cum alia aliis traderent, clerum omisisse vidimus. Neque licebat eis clerum donare, erat enim a rege datus et recipi poterat. Mea quidem sententia a regibus, ut clerus filio cleruchi contingeret, constitutum erat. Simulatque pater decessit, filius clerum et officia cleruchi recepit; hoc est, ipse cleruchus factus est [1]. Quo ordine non interrupto cleruchorum genera et agros retentura et militiae adfutura esse reges sperabant. Sed priusquam filius clerum acciperet, patre vivo, cum cleruchus appellari non posset, nomen τῆς ἐπιγονῆς ei erat. Qua interpretatione admissa homines τῆς ἐπιγονῆς aetate multo superari a cleruchis facile intellegitur, et cleruchi illi, quos triginta fere annos natos esse invenimus, patribus immature exstinctis agrum iuvenes accepisse videntur [2]. Homines triginta fere annorum, cleruchorum filios, arma non tulisse incredibile est. Quo magis eos neque legiones neque praefecturas profiteri mirari licet. Addictus erat filius, opinor, eidem legioni eidem-

---

qui cleruchis agros summis laboribus paratos (p. 28 sqq) assignaverunt, ut filiis eorum agros relinquerent nullis oneribus iniunctis, cum patres militiae adscripti essent in *ἐπιτάγματι,* quod P. Meyer sibi constituit? Num tertio cleruchorum genere, quod P. Meyer Philopatore rege deductum esse opinatur, exstincto, *ἐπίταγμα* illud evanescere voluerunt?

[1]) Quacum sententia bene concinit, quod in testamentis cleruchorum filii ceteris praeferuntur, id quod supra exposui. Sententia mea diversa est ab ea, quam protulit Revillout, Mél. p. 370, ea re, quod Rev. filium recepisse clerum a patre non iure sed usu dicit. Nam ita intellego verba: *Si, au point de vue pratique cette puissance féodale sur un pays determiné passait au fils, au point de vue purement juridique toutes ces terres et les annones qui en sortaient étaient données comme solde par le βασιλικόν.* Rebus recte perpensis iure, non modo usu et filius clerum recipiebat et clerus pro stipendio dabatur.

[2]) Mirari licet hominem *τῆς ἐπιγ.,* qui 60 annos natus est; I, 19. Sed ut pater ad illud tempus viveret, fieri poterat; quam ob rem filius *τῆς ἐπιγ.* esse non desiit. Tamen rem alia ratione interpretari licet. Fortasse ille designatus erat clero accipiendo, sed cum nullus pateret, exspectandum ei erat, donec cleruchi cuiusdam morte clerus pateficret. Quia hac in re filiis cleruchorum similis erat, *τῆς ἐπιγ.* vocabatur.

que loco atque pater, quo factum est, ut patre vivo inter milites legionis inseri non posset neque ullam praefecturam gereret. Arma ferebat quovis modo adiunctus legioni, sed non locum certum hipparchiae vel semeae tenebat. Qua ratione res constituta fuerit, ignoramus; quin homines *τῆς ἐπιγονῆς*, ut viri aetatis validissimae, militiae adfuerint, non dubito[1]). Clerus igitur filio maximo natu obtingebat, cui non testamento sed regis iussu donabatur. Quibus perpensis, si filius deesset militiae, clerum receptum esse a rege censeat quis. Sed, quod intellego, errare videtur. Nam P. P. II, 39 e traduntur tributa, quae solvenda sunt ab orphanis, nisi fallor, cleruchorum[2]). Orphanis clerum fuisse verba ipsa docent, cum legimus: *τέ(τακται) Πυθαγόρας Ἀθηναῖος ὁ κλ(ήρωι) ἰδί(ωι) ὀρφανός;* verba *κλήρωι ἰδίωι* litteris *κλ ιδι* significari videntur. Itaque filii cleruchorum, quamvis ipsi arma non ferrent, clerum tenuisse videntur[3]). Ne nimia immunitate gauderent, tributa eadem atque patribus eis imperata sunt.

Nomina cleruchi et *τῆς ἐπιγονῆς* eidem erant, illud, ubi clerum recepit, hoc, quoad pater clerum tenuit. Quo fit, ut diversis temporibus utrumque genus illud a Ptolemaeo II., hoc a Ptolemaeo III. donatum esse plane negem. Accedunt alia, quibus sententia confirmetur. Nonnulli cleruchorum domos tenent Alexandriae, quas testamentis tradunt, neque desunt, qui sint ascripti demo cuidam capitis illius[4]). Numerabantur

[1]) cf. P. P. I, 11 et 14, ubi filio et arma et equus reliquuntur, sine dubio, quia miles futurus erat.

[2]) Quamquam vox *ὀρφανὸς* semel occurrit, tamen Mah. pap. esse de tributis ab orphanis solvendis recte opinatur, quia alio loco eiusdem pap. aliquem non esse orphanum nomini adicitur. Quam papyrum P. Meyer ita interpretatus est, ut orphanos genus quoddam cleruchorum esse putaret, p. 35. Si recta sunt, quae supra exposui de cleruchis, orphanis cleri non sunt dati largitione regia, sed patribus exstinctis cleros retinuerunt.

[3]) Exemplum orphani patre cleruchо exstincto clerum sed non militiam tenentis invenire mihi videor in P. P. II, 46 b, quamquam nil nisi incertam opinionem me proferre moneo. Legimus: *Θεότιμος Εὔφρονος Θρᾷξ τῶν οὔπω ὑπὸ ἱππάρχην π* x. Fortasse Th. fuit filius cleruchi, qui post patris mortem clerum receperat. Sed adeo erat adulescens, ut hipparchiae addici non posset. Honos cleruchi nulli nisi militi addictus esse videtur; itaque Th, quamquam clerum tenebat, cleruchus vocari non poterat.

[4]) Id quod Wilck. perspexit; legimus e. g. demum *Σουνιέα* I, 14.

in civibus Alexandriae. Alii inveniuntur, qui appellantur *Ἀλεξανδρεῖς*, sed nomina urbis et demi una non tribuuntur. Contra interdum legimus *τῶν οὔπω ἐπηγμένων εἰς δῆμον* . . . ., e. g. I, 27: *Ἀλεξανδ]ρεὺς τῆς ἐπιγονῆς τῶν οὔπω ἐπηγμ[ένων εἰς δ]ῆμον Ἀσωπιέα* [1]). Ii, qui ita significantur, plerumque sunt *τῆς ἐπιγονῆς*, cum illa demorum nomina cleruchis vel aliis sint [2]). Cleruchi demi cuiusdam participes locum tenebant, quoad vixerunt. Ante patris mortem filius in demum recipi non poterat. Sed erat obtenturus non solum civitatem Alexandrinam sed etiam demum patris. Quo fit, ut ei, qui demo nondum ascripti sint, habeant certum demum, quem exspectent [3]). Quam ob rem voce universa *Ἀλεξανδρεὺς* appellatur filius cleruchi. Post patris mortem ille, quem dixi, non Alexandrinus sed Asopieus appellatur. Verba *τῶν οὔπω ἐπηγμένων* comparanda sunt cum voce *τῆς ἐπιγονῆς*, cum utraque non genus quoddam plane diversum a cleruchis sed filios cleruchorum, priusquam obtineant clerum, significet. Quae si ita sunt, ubique homines *τῆς ἐπιγονῆς* significandos esse verbis *τῶν οὔπω ἐπηγμένων* dixerit quis. Sed qui papyros perlegerit, haud raro breviore quodam genere scribendi usos esse homines illius aetatis cognoscet [4]), quo fit, ut virum cleruchum vel *τῆς ἐπιγονῆς* esse, dummodo res tractatae eo spectent, opinari liceat, etiamsi verba illa desint.

Sententia, quam explicavi, a Mah. maxime discedit ea re, quod clerum cleruchis solis, non hominibus, qui sunt *τῆς ἐπι*–

Ἀσωπιέα I, 27. *Ἐλευσίνιον* I, 13. *Χρηστήριον* I, 14. *Ἀνδρομάχειον*? I, 17, 1a. cf. FHG. III, 164. eundem I, 19. *Φιλαδέλφειον* I, 19. *Ἰσθμιέα* ib.

1) Praeterea I, 13, 2. 14. 17.

2) Quamquam non semper verba *τῆς ἐπιγονῆς* cum illis coniuncta cernuntur, tamen ubique sententia de hominibus *τῆς ἐπιγ.* dici monet, neque umquam cleruchus ita significatur.

3) P. Meyer, p. 46 filios cleruchorum demis non ante ascriptos esse censet, quam Alexandriam se conferrent. Sed exempla, quae profert, apta non sunt. Quis enim sibi persuaserit Satyrionem illum (P. P. I, 14, 28) quinquaginta annos natum numquam Alexandriae fuisse? Sin forte non fuit, non ita multum eius intererat demo se ascribi, neque intellegi potest, cur rem ab ipso neglectam proferat.

4) cf. P. P. II, 21 d: patria omissa. 25 g Apollonius, cum h exhibeat patrem, patriam, *τῆς ἐπιγονῆς*. 32, 2 a pater et patria desunt.

γονῆς, obtigisse censeo [1]). Hi omnino agros a rege datos non tenebant. Id quod praeter rationes supra scriptas cum nomine quoque cleruchorum optime concinit [2]).

Quamvis ea, quae in papyris a Kenyon editis scripta invenimus de epigonis, eo prospicere pelliciant, tamen, ne quaestio instituta diversis rebus turbari videatur, res epigonorum Memphiticorum praetermittam. Sed quae conferri possunt e scriptoribus, perpendenda esse censeo. Adhuc consilio vocem *ἐπίγονοι* vitavi; sed cum ante haec tempora usitata esset, quae traduntur de epigonis, adhibere placuit. Neque deest auctoritas Polybii. V, 65 describuntur copiae a Ptolemaeo IV. comparatae ante pugnam ad Raphiam commissam (anno 217), paulo postquam papyri supra tractatae conscriptae sunt. § 10 dicit de Thracibus et Gallis e numero catoecorum et epigonorum collectis. Thraces commemorantur in papyris, de Gallis nihil scriptum invenitur, id quod argumento esse non potest. Recte epigonos Polybii non diversos esse ab hominibus *τῆς ἐπιγονῆς* censebimus, quamquam vox catoecorum dubitationem movere potest. Sed num Polybius satis perspexerit, quid interesset inter *κληροῦχοι* et *κάτοικοι*, dubito [3]). Posterioribus temporibus, cum Romani Aegyptum occupassent, cleruchos non defuisse satis constat, cuius rei exempla in BGU exhibentur.

---

[1]) P. P. II, 38 a, unde Mah. suam sententiam illustrari putat (Emp. p. 211), rem contrariam docere videtur. Duo homines *τῆς ἐπιγονῆς* a Macedone quodam cleruchо duas partes cleri conduxerunt, mea quidem sententia, quia ipsis agri non erant et agris colendis quaestum facere studebant. Cur milites agris a rege donati conducerent agros ab alio clerucho?

[2]) Exemplum hominis *τῆς ἐπιγ.*, cuius pater erat cleruchus, fortasse exhibetur inscriptione quadam, quae e nomo Arsinoïtico orta esse videtur; quo tempore, non patet, nisi bellum Syriacum, quod commemoratur, Ptolemaeum III. vel IV. spectare censemus. B. C. H. 1896 (Jouguet): *Τοὔνεκα κἀμὲ πατρὸς καλὸν κλέος εἰςορόωντα τῆς αὐτῆς ψαύειν θυμὸς ἔθηγ' ἀρετῆς.*

[3]) Addere liceat locum a Mah. Emp. p. 253 non recte intellectum esse; verba sunt: *συνήχθη δὲ καὶ Θρᾳκῶν καὶ Γαλατῶν πλῆθος, ἐκ μὲν τῶν κατοίκων καὶ τῶν ἐπιγόνων εἰς τετρακιςχιλίους, οἱ δὲ προσφάτως ἐπισυναχθέντες ἦσαν εἰς διςχιλίους.* Mah.: *I suppose the two thousand imported to have been Gauls, while the four thousand were either κληροῦχοι or τῆς ἐπιγ.* Sed verba Polybii nihil docent nisi utrumque exercitum, et illum IV milium et hunc dimidio minorem, milites Thraces et Gallos habuisse. Neque est, quod verba torqueamus. cf. Droysen, Kl. Schr. p. 436 adnot. Wilck.

Earum rerum, quas supra exposui, testimonia inveniuntur usque ad priores annos Ptolemaei V [1]); postea neque vox cleruchorum neque vox *τῆς ἐπιγονῆς* occurrunt [2]), cum audiamus varia de catoecis et epigonis. Sub finem secundi saeculi inveniuntur iterum homines, qui sunt *τῆς ἐπιγονῆς* [3]). Plerumque sunt *Πέρσαι τῆς ἐπιγονῆς* [4]), quorum nomina Aegyptiacam originem indicant, quamquam interdum more aetatis illius nomen Graecum addunt [5]). Praeter eos invenimus, qui Persae vocentur omisso verbo *τῆς ἐπιγονῆς*. Sed cum in honoribus significandis interdum minore diligentia utantur, an omnes Persae fuerint *τῆς ἐπιγονῆς*, dubitare licet [6]). Feminae, et uxores et filiae, appellantur *Περσίναι*, sed numquam *τῆς ἐπιγονῆς* [7]). Quae nobis traduntur, Persas illos milites fuisse, quamquam non negant, tamen ut affirment, multum abest. Nam nusquam de re militari papyri sunt, sed agri vendendi et similia aguntur. Quin etiam, si eos, qui *Πέρσαι*, non *Πέρσαι τῆς ἐπιγονῆς* appellantur, in eodem genere ducere liceret, milites illos non fuisse demonstrari posset. Obversantur enim sacerdotes, qui appellantur Persae [8]). Id quod, si quaestioni illi non prodest, originem Persicam plane neglectam esse docet, quo nomina quoque prospiciunt. Sed contradicunt I, 12 et 21. Sunt enim duo testamenta Drytonis, qui erat praefectus militaris, quae similia sunt testamentis cleruchorum; utrum clerum habuerit necne, incertum relinquo. Quod uxor prior erat *ἀστή* [9]), altera Cyrenaïca,

---

[1]) P. P. II, 46.

[2]) Exceptis illis exemplis perpaucis, ubi cleruchi inveniuntur, cf. Ostr. II, Nr. 1496. 1528.

[3]) Sed singulare quoddam exemplum exstat tertii a. Ch. n. saeculi P. P. I, 16 (ante Nr. 1) *Πέρσης τῆς [ἐπιγονῆς*.

[4]) Greek Pap. I, 12. 18. 23. 29. 36. II, 18. 19. 20. 21. 23 a. 26. 27. 28. Pap. Leyd. p. 77. Reuvens, Lettres III, 2. Persae *τῆς ἐπιγ.* haud raro inveniuntur Imperatorum temporibus cf. BGU., Rev. Et. Gr. VIII, p. 321/2.

[5]) Gr. Pap. I, 18. 20. II, 15. 23 a. cf. I, 27.

[6]) *τῆς ἐπιγ.* omittitur I, 27. II, 25. 27. Interdum vocem *τῆς ἐπιγ.* omitti intellegitur ex II, 24, ubi *Πετεαρσεμθεὺς Πανοβχούνιος τῶν ἐκ Παθύρεως* appellatur, quem *τῆς ἐπιγονῆς* esse aliunde constat. Denique cf. I, 44 et II, 33.

[7]) I, 18. 27. 29. II, 15. 18. 23 a. 28.

[8]) I, 44.

[9]) Eam Alexandrinam fuisse veri simile cum non sit, Ptolemaïde ortam

bene concinit cum cleruchis. Testes leguntur sex, inter quos non minus quattuor Persis τῆς ἐπιγονῆς. Cum in testamento militis plerumque milites testes fuisse veri simile sit et quintus testium eques significetur, Persas τῆς ἐπιγονῆς militiae addictos fuisse probandum esse videtur. Addere liceat uni Persarum patrem esse nomine Persico inditum: Ἥροδος Ἀρσάκου. Nomen ipsum τῆς ἐπιγονῆς ad militiam spectare videtur. Fortasse milites instituti erant et plerique ad illud tempus erant; sed non deerant, qui detrectarent dilectu segniter habito, nomen servarent. Accedit, quod et ille Πέρσης τῆς ἐπιγ., qui nonaginta annis ante invenitur, P. P. I, 16, sine dubio miles est[1]).

Persis τῆς ἐπιγονῆς agri erant, sed nihil cognosci potest de agris a rege datis. Ab illis, quos supra tractavimus, maxime differunt ea re, quod homines τῆς ἐπιγονῆς erant filii cleruchorum, quibus nomen τῆς ἐπιγονῆς erat, donec clerum arriperent, hi ordini cuidam τῆς ἐπιγονῆς per totam vitam addicti esse videntur. Exstat enim papyrus, qua et patrem et filios esse Persas τῆς ἐπιγονῆς perspicitur[2]). Qua re discrimen,

---

esse opinari licet, quia filium quoque Drytonis Ptolemaïdis civem fuisse novimus, cf. Arch. f. Pap. I, p. 62.

[1]) Accedit exemplum recentissime publici iuris factum, Archiv f. Pap. I, p. 62. Est testamentum hominis, cui nomen Aegyptium est, sed cum uxor et testes plerique sint Persae, ipse quoque Persa fuisse videtur. Inter testes habemus tres Persas τῶν μι(σθοφόρων) ἱπ(πέων), unum Persam τῶν πεζῶν, omnes sunt τακτόμισθοι. Itaque primum quidem Persae inserebantur inter turmas τῶν μισθοφόρων ἱππέων, sed non omnes, nonnulli erant pedites. Tum, si recte supra interpretatus sum vocem τακτόμισθος, hoc loco Persis τῆς ἐπιγονῆς, si non omnibus, certe parti, fuisse cleros demonstratur. Nam vox illa stipendia super agros data indicare videbatur. Quin hi Persae re vera sint Πέρσαι τῆς ἐπιγονῆς, dubium esse vix potest.

[2]) Pater II, 29; filii 23 a. Ut pater et filii vocarentur τῆς ἐπιγ., fieri poterat, cum avus ad illud tempus vivebat et cleruchus erat. Qua opinione accepta ea, quae supra de cleruchis et epigonis exposui, ad hunc locum adhiberi possunt. Quamquam avum vivum tenuisse ad illud tempus clerum et nomen cleruchi plane negari non potest, tamen veri simile non est. Quin pater ille τῆς ἐπιγ. fuerit, vix dubitare possumus. Verba sunt 29, 7. 8: τοῖς δ' τῶν Πανοβχούνιος τοῦ Τοηοῦς Πέρσου τῆς ἐπιγονῆ[ς]. Haud raro in his papyris casus substantivi prave adhibentur, sed Πέρσου scribi pro Πέρσαις veri simile non est mea quidem sententia. 27, 6 ubi Πέρσαι exstat pro Πέρσαις, error grammaticus facile explicari potest, ita ut haec pap. exemplo non sit.

quod est inter hos Persas τῆς ἐπιγονῆς et illos τῆς ἐπιγονῆς, qui in P. P. inveniuntur, optime illustratur[1]). Quamquam omnia, quae novimus de his Persis, eo sententiam vertunt, ut per multos annos iam ordinem et nomen inveterata esse censeamus, tamen exempla non desunt, quibus interdum novos receptos esse patefiat. Iisdem temporibus enim Persa quidam appellatur *Πέρσης τῶν προςγρ(άφων)*[2]). Itaque erat genus Persarum recenter ascriptorum. Aliud genus spectare videntur verba haec (Gr. Pap. II, 15 col. 1, 139 a. Ch. n.): *Ἑρμίου τοῦ Ἕρμωνος Πέρσο[υ τῶ]ν Πτολεμαίου καὶ τῶν υἱῶν.* Sed adhuc nihil certi de hoc genere affirmari potest, nisi eos milites fuisse[3]).

Persae τῆς ἐπιγονῆς collocati erant in nomo Pathyritico Thebaïdis, quo fit, ut interdum nomini addatur τῶν ἐκ Παθύρεως. Semel τῶν ἐκ Γότνιτ κώμης τῆς κάτω τοπαρχίας τοῦ Λατοπο-

---

[1]) Quonam tempore sententia vocis τῆς ἐπιγονῆς coepta sit ita mutari, ut iam non genus insequens, filios cleruchorum, sed ordinem quendam perpetuum significaret, e papyris non elucet. Nam quo modo intellegenda sit in exemplo saeculi tertii supra citato, intellegi non potest. Neque lucem afferunt epigoni Memphitici, qua voce manipulus quidam appellatur, quia illis temporibus, Philometore rege, et vocem ἐπίγονοι et vocem τῆς ἐπιγονῆς invenimus. Quarum haec eadem sententia usurpata esse videtur atque ante in filiis cleruchorum.

[2]) Lond. II, 218. corr. Grenf. Hunt. P. Meyer, p. 84, Soterem II. iterum deduxisse Persas putat, qui audirent τῶν προςγράφων. Sed ea re, quod exempla duo, quae exstant, Sotere rege conscripta sunt, nihil demonstratur. Minus etiam probari potest, quod Meyer Anm. 301 Persas nonnullos esse τῶν προςγράφων opinatur, quia iisdem temporibus commemorantur.

[3]) Grenf. vertit: *a Persian belonging to the class which consists of those settled by Ptolemy I. and their descendants.* τῶν υἱῶν ad filios Ptolemaei regis spectare negat. Eadem papyro nobis datur alius *Πέρσης τῶν υἱῶν*. Accedit Lond. II, 219 a, 6: *Ἀσκληπιάδης στ[. . . — Πτολ]εμαίου καὶ τῶν υἱῶν τακτόμισθος.* (P. Meyer Asclepiadem Persam esse vult, nescio quo testimonio nixus, et vocem υἱῶν satis dubiam esse neglexisse videtur, p. 83.) Fortasse τῶν υἱῶν simili sententia usurpatur atque τῆς ἐπιγονῆς. Quid intererat inter hos et Persas τῆς ἐπιγονῆς? Eratne genus maiore dignitate praeditum, quia minus sanguine Aegyptio affecti erant? Sententiam, quam proponit Meyer, p. 82, hac voce significari legionem electorum, quae ab Euergeta altero instituta esset, probare non possum, quia de hac re nullo loco verba fiunt. E testimoniis, nisi fallor, nihil elici potest, nisi exstitisse manum quandam ita appellatam.

λίτου[1]). Discrimen inter Persas Pathyritae et Latopolitae admittendum esse non censeo. Praeterea circa Memphin nonnulli collocati esse videntur, nam pap. supra citata, Pap. Leyd. p. 77, conscripta est *ἐπὶ τῆς ὑποκά[τω] Μέμφεως φυλακῆς*. Papyri, quibus docemur, ortae sunt a temporibus Physconis usque ad exordia primi saeculi a. Ch. n.[2]).

Denique paucis obstringam vocem, quae occurrit iisdem temporibus, ca 103/2 a. Ch. n. Compluribus enim et viris et feminis additur *ἀρ*, id quod *in a very cursive manner* scriptum esse Gr. addit; quo fit, ut litteras esse certas vix affirmet quis. Neque omnes ita significantur, sed ii, qui in tabellis venditionis partes gravissimas gerunt, qui vendit, qui emit, tutores. Num supplenda est vox *ἀρ(ουραῖος)*? Sed etiamsi recte suppletur, tamen *ἀρουραῖον* esse similem cleruchorum dicere non ausim. Commemorasse satis est[3]). Persas *τῆς ἐπιγονῆς* et originem et nomen traxisse de epigonis ab Alexandro e Persarum gente conscriptis demonstrari non potest[4]). Fieri poterat, ut Ptolemaeus I. partem eorum deduceret in Aegyptum, sed testimoniis destitutus rem integram relinquo. Contra Persas illos fuisse posteros Persarum, qui ab Achaemenidis collocarentur, negandum esse censeo. Cum milites fuisse videantur, fortasse quovis modo comparandi vel coniungendi sunt cum illa epigone, quam vidimus saeculo ante in pago Arsinoïtico. For-

---

[1]) II, 23 a.

[2]) I, 12. ca 148. I, 36. inter 99 et 88 a. Ch. n.

[3]) cf. Greek Pap. I, 33. e. g. *Τα[μνοῦβι]ς Φιλίππου ἀρ ὡς∟ κ μέση μελί(χρως) στρογγυλοπρ(όσωπος) εὐθ[ύ]ρι(ν) μετὰ κυρίου τοῦ ἑαυτῆς οἰκήου Ἀρσιήσιος τοῦ Πα[τ]ώτου ἀρ ὡς∟με εὐμεγέθης κτλ.* Qui *ἀρ* sunt, aetate non esse provectos moneo; aetas varia est inter 20 et 45 annos.

[4]) P. Meyer p. 83 sq Euergetam II. Alexandrum, qui Macedonibus epigonos barbaros opposuisset, imitatum copiis nomen Persis indidisse, ut se iam non nixurum esse in Macedonibus Graecisve patefaceret, sibi persuasit. Sed re vera nihil constat nisi illis temporibus fuisse milites, qui appellarentur *Πέρσαι τῆς ἐπιγονῆς*, neque demonstrari potest hoc fuisse robur exercitus. Euergetes, si Macedones se reicere patefacere voluisset, copias appellavisset Aegyptios, non Persas. Non habemus, quod nomen Persarum exstitisse ex origine Persica negemus. Quod inter nomina propria inveniuntur et Aegyptia et Graeca, exemplis tam paucis relictis nihil docet de discrimine, quod P. Meyer constituit inter Persas Euergetae et Persas Soteris alterius.

tasse Persae captivi, admoneo de bello Syriaco Euergetae prioris, simili modo collocati sunt atque cleruchi[1]. Quorum posteri *Πέρσαι τῆς ἐπιγονῆς* appellari poterant. Sed res tam obscura est, ut nil nisi opinari liceat.

Ἐπιγονή, quam vocamus, originem ducit simili ratione atque cetera, quae illis temporibus in rebus militaribus inveniuntur, ab Alexandro Magno. Qui duo genera epigonorum instituisse videtur; alterum Persarum, alterum filiorum, quos Macedones genuerant ex uxoribus barbaris. Nam Arrianus VII, 6, 1 adulescentes coactos esse ex oppidis recenter conditis et regionibus superatis, quos armatos et institutos more Macedonum Alexander appellavisset epigonos, narrat. Atque paulo infra, 8, 2, dicit de epigonis barbaris. Qua Arriani voce Lumbroso[2] commovetur, ut epigonos Macedonicos quoque fuisse putet. De quibus verba facere videtur Justinus; nam cum filios Macedonum ex uxoribus barbaris genitos commemorat, filios supplemento fuisse exercitui dicit. Alexandro quidem hoc in animo fuisse. Quae narrant Arrianus VII, 12, 2 et Diodorus XVII, 110, 3, ad epigonos non spectant. Contra 108, 1. 2. est de epigonis barbaris. Itaque duo genera epigonorum secernuntur. Sed quamquam diversis temporibus instituebantur et diversis e gentibus orta erant, tamen non tantum interfuisse censeo quantum videtur. Nam inter epigonos barbaros et Macedonum filios versatos esse opinor, nixus Arriani verbis his: *ἧκον δὲ αὐτῷ καὶ οἱ σατράπαι οἱ ἐκ τῶν πόλεών τε τῶν νεοκτίστων καὶ τῆς ἄλλης γῆς τῆς δοριαλώτου.* Alexandrum multis locis et praesidia Macedonum vel Graecorum et milites ad arma inutiles collocasse novimus. Quos uxores barbaras duxisse et, cum a satrapis dilectus haberetur, filios dedisse perspicuum est. Quin etiam eorum filios praeter ceteros conscriptos esse censeo. Itaque inter epigonos, quos barbaros appellat Arrianus, satis magnum numerum illorum fuisse veri simile est. Accedit, quod vox

---

[1] cf. P. P. II, 29 b: *Ἀγόλπει. Τοῦ Ἀλκέτου τῶν ἀπὸ τῆς[Ἀ]σίας αἰχμαλ[ώ]των κλ(ήρου).* Captivis igitur cleri distribui poterant. cf. P. P. I, 16 *Πέρσης τῆς [ἐπιγονῆς]* tertii a. Ch. n. saeculi. Cur Alcetas ille non audiverit cleruchus, ignoramus.

[2] L'Egitto p. 77 sqq., ubi plura legantur de institutione epigonorum, quae hic percurrere meum esse non puto.

ipsa filios eorum, qui cum Alexandro arma tulerant, significare videtur, quo fit, ut epigonos barbaros nomen traxisse de epigonis Macedonum, qui inter eos erant, opiner. Persarum enim filios epigonos appellatos esse minus probo.

Lumbroso, cum epigonos Macedones et epigonos barbaros etiam inter catoecos et epigonos Aegypti discerni posse affirmat, certe errat. Macedones enim et barbari, vel Thraces vel alii, quod novimus de cleruchis, in papyris diversi esse non videntur, neque est, quod inter catoecos eam discrepantiam admittamus [1]).

Diadochos, qui dicuntur, Alexandrum imitatos esse patet, neque opus est Justini verbis niti [2]). Ubicumque enim fuerunt Macedones et milites alii, filios eorum militiae adiunctos esse per se veri simile est. Ptolemaeum quoque nomen epigonorum recepisse videmus, sed quae invenimus Ptolemaeo II. rege, ab epigonis Alexandri nonnullis rebus differunt. Alexandri epigoni vel barbari vel e matribus barbaris erant, cum cleruchi uxores Graecas duxisse videantur. Id quod rebus mutatis plane explicatur. Cum Alexander gentes Macedonum et barbarorum miscere studeret, Ptolemaei milites sanguine Aegyptio infirmari nolebant. Catoecis saeculo insequenti conubium Aegyptiarum fuisse infra tractandum erit.

Gravissima quaestio est, utrum Alexandri epigoni legiones quasdam epigonorum compleverint an ascripti sint legionibus patrum, id quod constitutum esse de viris τῆς ἐπιγονῆς supra probatur. Quamquam res decerni non potest, tamen opinari licet. Epigoni illi barbari sine dubio non erant supplemento legionibus Macedonum, sed ipsi habebant suas legiones. Alterum genus, filii Macedonum, qui erant cum Alexandro, in

[1]) L'Egitto p. 79. L., cum librum conscriberet, papyros cleruchorum novisse non poterat. De Macedonum dignitate, quanta esse videatur, nihil dico; in papyris collatis de duobus generibus cleruchorum vel epigonorum nihil inveni. Quod et Macedones et barbari aliunde orti in Aegypto inveniuntur inter cleruchos et epigonos, Aegyptii ipsi nusquam obversantur, ab illa quaestione, quae est de duobus generibus epigonorum in Aegypto conservatis, alienum est. Nam Aegyptii arma non tulerunt nisi bello gravissimo orto conscripti auxiliorum loco. Quod posterioribus temporibus machimi inter milites esse videntur, sententiam mutare non potest, quia de filiis eorum legitime armis adigendis nihil constat.

[2]) „Quae consuetudo in successoribus quoque Alexandri mansit".

patrum locis collocati esse possunt. Nam a Justino docemur pupillis Macedonum, cum patres obiissent, nihilo minus stipendia patrum soluta esse. Ut his temporibus stipendia trahebant epigoni, ita postea, cum in Aegypto pro stipendio vel toto vel parte quadam eius agri darentur, filii patribus exstinctis cleros retinebant[1]. Itaque filios in patrum loca successisse, ita ut et stipendia acciperent et ad aetatem virilem progressi officia militaria conficerent, Alexandri quoque aetate veri simile est.

De catoecis.

Cum papyri tertio a. Ch. n. saeculo ortae cleruchos ante ignotos oculis obiecerint, secundo saeculo papyris docemur de catoecis[2], quos fuisse in Aegypto iam auctores docuerant. Ut, quid intersit inter cleruchos et catoecos, perspiciamus, singula, quae traduntur, perpendamus. Collocati erant in nomis Memphitico et Heracleopolitico, id quod videmus e papyris, quae sunt de Ptolemaeo recluso[3]. Mah. non agros eis addictos esse sed in urbibus habitavisse censet[4]. De agris in papyris nihil commemoratum esse invenio[5], sed catoecos in urbibus non ruri collocatos esse e papyris demonstrari non potest. Nam ubi significantur *τῶν ἐν τῶι Ἡρακλεοπολίτῃι*, de pago non de urbe dici patet[6]. Sed nonnullis locis domos eis esse cognosci potest, id quod fieri non poterat, nisi colonia perpetua illis locis erat, eo magis, quod domos a patre filio heredi traditas esse vide-

---

1) P. P. II, 46 b *Θεότιμος Εὔφρονος Θρᾷξ τῶν οὔπω ὑπὸ ἱππάρχην* π x filius cleruchi esse videtur, qui post patris mortem clerum retinet, sed nondum ad arma idoneus est.

2) Cleruchorum nomen ne in altero a. Ch. n. saeculo quidem plane exstinctum esse supra exemplis illustravi.

3) Lond. I, 23.

4) P. P. I, introd. p. 42 adnot.

5) Iam hic moneo, ne Lond. I, 23 col 4 de agris verba fieri putes; quod in l. 39/40 legitur: *ἐπιγράψαι δὲ αὐτῷ τὴν χώραν καί σοι διασαφῆσαι κτλ,* non est de agris sed de loco in Dexilai manipulo assignando, id quod et sententia totius papyri et verbis circumstantibus (*ὅπως καὶ δι(ὰ) τῶν συμβόλων ἐγγλογίζεται αὐτῶι ἀκολούθως*) et voce *χώρα*, non *γῆ*, usurpata demonstrari videtur.

6) Lond. I, 23 col. 1.

mus[1]). Utrum sit domus a rege data, cum collocarentur, an libera possessione teneatur, apertis verbis dictum non est. Sed catoecis quoque agros fuisse veri simile est. Nam primum quidem papyrorum silentio non docemur; ne cleruchos quidem agros habuisse sciremus, nisi nomine cleruchi et edictis regiis, quae sunt de cleris, persuaderemur[2]). Nam quae cleruchi ipsi scripserunt, praeter cetera eorum testamenta, de clero tacent. Quod attinet ad catoecos, edicta regum desunt. Sed magis permoveor ea re, quod catoeci in Seleucidarum regno agros tenebant, id quod inscriptionum testimonio ita firmatur, ut dubitare non liceat[3]). Cum res militares in regnis diadochorum similes fuisse per se pateat, ne in hac quidem re catoecos Aegyptios diversos fuisse a catoecis Seleucidarum censeo, praesertim cum papyri non obsint. Sed non solum agros habuisse eos, sed etiam in oppidis collocatos esse atque civitatis, totius vel partis, participes fuisse, exemplis aliunde depromptis commendatur, quamquam e papyris elici non potest. Exemplum cleruchorum usui esse potest. Quamquam collocati erant in agris, in vicis, tamen eos in capite nomi receptaculum habuisse, qui *σταθμὸς* vocabatur, vidimus. Ubicumque catoeci distribuuntur per praesidia, de oppidis cogitandum esse censeo. Cuius rei exempla traduntur de Ptolemaeo I., qui Iudaeos collocasse dicitur[4]). Accedit, quod in Seleucidarum regno catoecos in

---

[1]) ib. 45, 6. Pap. Taur. I, 1; quin Hermias sit catoecus, non dubito. De quo amplius postea.

[2]) Brugsch, Lettre à Rougé, p. 20: *κάτοικος* demotice vertitur maître du sol.

[3]) Cig II, 3137, III, l. 100—102. Ager clerus appellabatur. Qua inscriptione clarissime illustratur, quid intercesserit inter catoecos et milites reliquos. Illi cleris donantur, hi stipendiis. Nam cum catoecis cleri confirmentur vel assignentur in inscriptione, phalangitis, *τοῖς πεζοῖς τοῖς τεταγμένοις ὑπὸ Τίμωνα τοῖς ἀποταχθεῖσιν ἀπὸ τῆς φάλαγγος*, promittuntur *μετρήματα καὶ ὀψώνια* (l. 103—107). Pergami quoque *οἱ ἐστεγνοποιημένοι*, quorum nomen coloniam oppidanam significare videtur, non sine agris erant, cf. Radet, de col. p. 78/9. J. H. St. XI, p. 114/5 inscr., ca 168 a. Ch. n., : *τοῖς κατοικοῦσιν τὴν πόλιν καὶ τὴν χώραν. χώρα* agros indicat.

[4]) Res ipsa, quamquam nomina Iudaea et hominum et locorum in Aegypto non desunt, tamen Josephi auctoritate non satis confirmatur. Sed verba eius usui sunt; c. Ap. II, 4, postquam Soterem praesidia Aegypti Iudaeis dedisse dixit, pergit: *καὶ Κυρήνης ἐγκρατῶς ἄρχειν βουλόμενος καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἐν*

oppidis collocatos esse constat, qui in inscriptionibus tum se esse in oppido tum circa oppidum profitentur[1]). Quin etiam vox *κατοικία* ipsa in Asia coloniam militum in oppidum deductam et agris donatam significare videtur[2]). Quo modo catoeci urbani differant a civibus, exquirendum est. Qua in re ducem sequemur inscriptionem Smyrnaeam, quae est de foedere icto ab urbe Magnesia cum Smyrnaeis. Magnesiae colonia militum erat, condita ab Antiocho Theo[3]), qui partim in urbe habitabant, partim in agris collocati erant. Qui omnes *κάτοικοι* appellantur, sed inter se distinguuntur hunc in modum (1 35/6): *οἱ ἐμ Μαγνησίαι κάτοικοι, οἵ τε κατὰ πόλιν ἱππεῖς καὶ*

τῇ Λιβύῃ πόλεων εἰς αὐτὰς μέρος Ἰουδαίων ἔπεμψε κατοικῆσον. cf. ant. XII, 1. Aristeas ed. Schmidt in Merx Arch. 1868 p. 15. 20. Praeterea Strab. 807, ubi loco praesidii *κατοικίαν* collocatam esse dicitur. Willrichius, Arch. f. Pap. I, p. 48 sqq., *κατοικίας* Iudaeorum in Aegypto fuisse putat, quas instituisset Philometor. Nam quae tradantur de Ptolemaeo I., re vera pertinere ad Philometorem. Quae profert, ut Iudaeos collocatos fuisse catoeciae militaris more demonstret, satis gravia sunt, ita ut facere non possim. quin assentiar. Quo pacto verba Josephi de praesidiis (*φρούρια*) Iudaeorum dicta re vera respicere ad catoecias eiusdem gentis recte exposuisse videtur scriptor.

[1]) Exempla apud Radet, cf. p. 79 de Pergamo: *οἱ ἀναφερόμενοι ἐν τῶι φρουρίωι καὶ τῆι πόλει τῆι ἀρχαίαι κάτοικοι.* cf. Diod. XXXIII, 4 a *τοὺς περὶ τὴν Λάρισαν.* Strab. 752: Apamea appellatur Pella *διὰ τὸ τοὺς πλείστους τῶν Μακεδόνων ἐνταῦθα οἰκῆσαι τῶν στρατευομένων.*

[2]) Schulten, Mak. Militärkol. Hermes 32. *κατοικεῖν* idem esse atque consistere, habitare sine civitate, sive in urbe (*πόλει*) miles, non cives est, sive non urbs sed vicus est. J. H. St. XI, p. 114/5 inscr. *ποιήσ[ασθαι] [τὴ]ν συμμαχίαν, δι' ἧς συμβέβηκεν οὐ μόνον τοῖς πολίταις τὴν ἀσφάλειαν ὑπ[άρχειν εἰς]τὸν ἀεὶ χρόνον ἀλλὰ καὶ τοῖς κατοικοῦσιν τὴν πόλιν καὶ τὴν χώραν.* Cives opponuntur catoecis. Quae exposuit Ed. Meyer, Hermes 33, 643 sqq, verbo *κατοικία* non semper coloniam militum significari, saepe nihil esse nisi *κώμη*, recta esse concedo. Sed aliis locis vox *κατοικία* sine dubio milites deductos significat, ut in inscriptione Smyrnaea, in qua *οἱ κάτοικοι* seiunguntur ab incolentibus (*οἰκηταί*). Quae adnotavi ad epigonos, huc quoque spectant: verba non satis accurate usurpantur, ita ut tum sententia artiore tum ampliore scripta sint. In papyris quoque verbum *κατοικεῖν* interdum habitare est, neque cogitare licet de catoecis militaribus. cf. P. P. II, 32, 1: *παρὰ Πε[τοσί?]ριος βυρσοδέψου τῶν κ[ατοι]κούντων ἐν Κροκοδίλων πόλει.* 32, 2 a. b.

[3]) l. 100. Quamquam verba non ad omnes, sed ad catoecos Palaeomagnesiae spectant, tamen coloniam Magnesiam isdem fere temporibus deductam esse veri simile est.

πεζοὶ καὶ οἱ ἐν τοῖς ὑπαίθροις. Quibus opponuntur *οἱ ἄλλοι οἰκηταί*[1]). L 13/4 et 20/1 alio modo distingui videntur: *οἱ στρατηγοὶ ..... διεπέμψαντο πρὸς τοὺς ἐμ Μαγνησίαι κατοίκους καὶ πρὸ[ς] τοὺς ὑπαίθρους ἱππεῖς καὶ στρατιώτας*, ita ut *οἱ ὕπαιθροι* non habeantur in catoecorum numero. Sed hoc loco verba fiunt de legationibus et ad catoecos urbanos et ad copias rusticas missis, quam ob rem haec duo genera separari oportebat. Quod vox catoecorum ad eos spectat, qui in urbe habitant, usu accuratiore hi, non *οἱ ὕπαιθροι*, catoeci appellati esse videntur. Itaque hoc loco rusticos non esse in catoecorum numero minime demonstrari potest. Civitate Smyrnaea donantur, qui sine dubio ante civitate Magnesiae ornati erant. Omnes enim, et catoeci et reliqui incolae, in unam urbem congesti eadem civitate uti videntur, sed ita, ut milites non solum dignitate[2]) sed etiam potestate[3]) reliquis praecedant. Civitas militibus in coloniam deductis assignari non poterat, nisi haec

---

[1]) cf. l. 44—47 et 73/4. *οἱ ἄλλοι οἰκηταί*, quot sunt Graeci liberi, donantur civitate Smyrnaea. Cum *κάτοικοι* inscribantur in registris militaribus (*καταλοχισμοί*), *οἱ ἄλλοι οἰκηταὶ* in tabulis civilibus (*γραφή*). Simili modo Pergami et catoeci et phalangitae et cives secernuntur: I. *οἱ ἀναφερόμενοι ἐν τῶι φρουρίωι καὶ τῆι πόλει τῆι ἀρχαίαι κάτοικοι* II. *παραφυλακῖται καὶ ἔμφρουροι* III. *οἱ κατοικοῦντες ἢ ἐνεκτημένοι ἐν τῆι πόλει ἢ ἐν τῆι χώραι.* cf. Bull. Corresp. Hell. 1891 p. 556 sqq; et catoeci et milites phalangitae seiungi videntur.

[2]) Ubicumque partes populi commemorantur, catoeci priores sunt, cf. l. 35. 46.

[3]) Id quod mirum est. Catoeci inscribuntur in tabellis militaribus a scribis copiarum, incolae a viris, quos catoeci Magnesiae constituerunt. Nam hoc loco, l. 47, verba *ὑπὸ τῶν ἐμ Μαγνησίαι κατοίκων* genus illud militum, non omnes incolas significare puto. Res in dubium vocari potest, cum l. 49 legeris: *τῶν ὄντων τῶ[ν] παρ' αὐτοῖς κατοίκων.* Non catoeci priorem locum tenere videntur sed *αὐτοί*, hoc est cives Magnesiae, *ὁ δῆμος*. Sed ita dici poterat, quia catoeci urbi iam ante florenti assignati erant. Quae dixi, refutari videntur eis, quae Franzius ad inscr. adnotavit, nonnullis locis voce *κάτοικοι* omnes, et milites et cives, comprehendi. Sine dubio ita intellegi possunt loci quidam e. g. l. 14 (cf. supra), l. 47. Num ei loci, ubi cives significantur verbis *οἱ ἄλλοι οἱ οἰκοῦντες* vel *οἱ ἄλλοι οἰκηταί*, eodem spectent, dubito, sed plane negari non potest. At interdum vox *κάτοικοι* non civibus sed armatis solis additur, ut l. 49, et cum reliquis locis vocem *κάτοικοι* sententia ampliore usurpari demonstrari non possit, illis quoque locis catoecos esse milites, non omnes, et milites et cives, puto.

colonia condebatur in urbe, quae iam ante erat. Neque civitatem totam ubique catoecis fuisse demonstrari potest[1]).

Denique inscriptione Smyrnaea exhibetur foedus ictum a Smyrnaeis et catoecis, qui Palaeomagnesiam tenent. Duo cleri eis sunt, sed non omnibus, tertius promittitur[2]). Catoeci in oppido Palaeomagnesia habitabant, cleri non longe aberant[3]). Num hi quoque civitatis participes fuerint[4]), perspici non potest neque censeamus necesse est. In eadem fere regione catoeci pristini Magnesiae, *οἱ πρότερον ὄντες ἐμ Μαγνησίαι κάτοικοι*, cleris donati sunt, qui cleri recipiendi esse videntur, ut denuo catoecis Palaeomagnesiae distribuantur. Illi catoeci pristini, nisi fallor, initio Magnesiae collocati erant, postea, cum alii a rege in coloniam mitterentur, priores in agris disponebantur.

Omnes, et catoeci Magnesiae Palaeomagnesiaeque et illi, qui sunt *ὕπαιθροι*, non veterani sed milites sunt, neque usquam de stipendiis emeritis verba fiunt, cum vel equites vel pedites vel milites appellentur (*ἱππεῖς, πεζοί, στρατιῶται*). Sed eos milites esse maxime ea re demonstratur, quod inscribuntur in tabellis militaribus, *καταλοχισμοί*, a scribis copiarum, *γραμματεῖς τῶν ταγμάτων*. Qui appellantur *ὕπαιθροι*, nomine ipso milites non veterani esse indicantur, sunt enim milites collocati in castris, neque deest vox, qua stationem militarem eos tenere exhibeatur: *τοὺς ἐν τοῖς ὑπαίθροις τασσομένους*[5]). Sunt milites, sed collocati in urbe vel agris tamquam praesidium perpetuum. Non

---

[1]) Apertissime cives et catoeci distinguuntur J. H. St. XI, p. 114/5: *οὐ μόνον τοῖς πολίταις τὴν ἀσφάλειαν ὑπ[άρχειν εἰς] τὸν ἀεὶ χρόνον ἀλλὰ καὶ τοῖς κατοικοῦσιν τὴν πόλιν καὶ τὴν χώραν.*

[2]) l. 100—102. Dubia sunt verba *καὶ ἐὰν προσορισθῆι ἡ [χ]ώρα, ἣν ἔχουσιν οἱ πρότερον ὄντες ἐμ Μαγνησίαι κάτοικοι, τῆι πόλει τῆι ἡμετέραι, ὑπάρχειν αὐτοῖς τοὺς τρεῖς κλήρους δωρεὰν κτλ.* Recte monet Schulten, l. c. verbum *προσορίζειν* dici de rege, qui agros assignet. Exspectabant Smyrnaei fore, ut rex agros catoecorum pristinorum receptos catoecis Palaeomagnesiae daret. Sed quid sibi vult *τῆι πόλει τῆι ἡμετέραι*? Aut catoecis aut Smyrnaeis assignandi erant agri illi, utrique tum demum, cum foedus confectum erat. Fortasse eo spectant verba.

[3]) 102/3: *κλῆρο[ν] ἱππικὸν δωρεὰν τῶν παρακειμένων τῶι χωρίωι.*

[4]) l. 104 de civitate eorum nihil demonstrari moneo.

[5]) l. 71/2. Verbum enim *τάττεσθαι* significat in statione collocari, cf. Lond. I, 23 col. 3: *εἰς τὴν Δεξειλάου σημέαν, ἣ τὸ τεταγμένον ἔχει ἐν Μέμφει.*

semper sunt in armis, qua re differunt a phalangitis, quorum manipulum rex mittit Palaeomagnesiam (*ἀποταχθέντες ἀπὸ τῆς φάλαγγος ἐπὶ τὴν φυλακὴν τοῦ χωρίου*)[1]. Catoecos non nisi bello gravi orto ad arma convocatos esse verisimile est, cum phalangitae comparari possint cum copiis, quas hodie lineareas appellare solemus.

Inscriptionem Smyrnaeam amplius tractavi, quia gravissima docet de genere catoecorum. Habitare solent in oppidis, sed non omnes, *ὕπαιθροι* enim non sunt copiae urbanae; donantur certe domo et agris, ut similem agant vitam qualem oppidani ipsi. Quamquam non omnibus esse agros vidimus[2]. Quod agri a rege illis assignantur e fundis regiis, similiter atque in Aegypto factum esse animadvertimus, ubi cleruchi tractati sunt. Civitatis eius oppidi, quod tenent, participes sunt vel tota vel parte. Tamen non in civium sed in militum numero habentur, non sunt veterani sed arma ferunt[3]. Inter catoecos satis magnum numerum Macedonum et Graecorum fuisse non est, quod argumentis confirmetur[4]; praeter quos Persae et alii barbari commemorantur. Neque desunt in Asia Iudaeorum *κατοικίαι*[5].

Praeter inscriptionem supra tractatam de rebus catoecorum, qui erant in Asia, instituimur loco Diodori, quo coloniam Thessalorum commemorat. Condita a Seleuco Nicatore, anno 145 a. Ch. n. eodem loco erat. Itaque filios priorum patribus successisse veri simile est, quamquam, ut a regibus saepe recentes submitterentur, fieri poterat. Gravissimum autem est, quod Thessalós semper unam eandemque partem exercitus explere videmus, cui sine dubio assignati erant, primum agema

[1]) Oppidum catoecis traditum interdum copiis phalangis firmatum esse aliunde quoque notum est, cf. Polyb. V, 50, 10.

[2]) Fortasse quae legimus de genere *τῶν ἀκληρουχήτων*, spectant ad milites recenter in catoeciam deductos, quibus ad illud tempus clerus assignari non poterat. Qua interpretatione admissa intellegi potest, cur rex cleros pristinorum recepturus sit.

[3]) A Seleucidis collocabantur, ut praesidio essent locis contra hostes munitis, cf. Radet, l. c.

[4]) Attalidae Macedones praetulisse non videntur, cf. Ath. Mitt. XIII, p. 13 sqq.

[5]) Jos. ant. XII, 3, 4. De barbaris cf. Radet.

equitum [1]). Catoecos Asiae milites fuisse, non veteranos, aliis locis demonstratur, maxime Strab. 752, ubi exponitur Pellam appellatam esse Apameam *διὰ τὸ τοὺς πλείστους τῶν Μακεδόνων ἐνταῦθα οἰκῆσαι τῶν στρατευομένων*, quod verbum militiam significat [2]).

Quibus perpensis in Aegypto quoque catoecis agros datos esse et multos eorum in oppidis collocatos esse veri simile est. Revertamur ad catoecos nomi Heracleopolitici et Memphitici [3]). Glaucias, pater Ptolemaei reclusi, describitur *τῶν ἐν τῶι Ἡρακλεοπολίτηι συγγενῶν κατοίκων*. Genus quoddam nobile catoecorum significari videtur, cum quanta fuerit illis temporibus dignitas propinquorum regis meminerimus. Sed quibus rebus praecesserint reliquis catoecis, cognosci non potest [4]). Fortasse Macedones erant; Glaucias certe erat. Mortuus est Glaucias temporibus tumultus, quo Aegyptus turbabatur, cum Antiochus bellum inferret et Philometor cum fratre pugnaret, post annum 172/1. Ptolemaeus filius se ipsum describit *Μακεδὼν τῆς ἐπιγονῆς τῶν ἐκ τοῦ Ἡρακλεοπολίτου* [5]); iam ante patris obitum in Sarapeum se recepit [6]), ita ut ipse in patris locum succedere non posset. Quod appellatur *τῆς ἐπιγονῆς*, animum vertit eo, ut filiis catoecorum hoc nomen fuisse censeamus. Cum ipse patris munus non recepisset, catoeci dignitatem non assecutus in numero *τῆς ἐπιγονῆς* remansit [7]). Nihilo minus ut heres

---

[1]) Diod. XXXIII, 4 a *τοῖς ἀπὸ Σελεύκου τοῦ Νικάτορος βασιλεῦσι γεγονότας συμμάχους κατὰ τὸ πρῶτον ἄγημα τῆς ἱππικῆς δυνάμεως.* Verba *συμμάχους γεγονότας* nihil sunt nisi stipendia facere. Quod attinet ad rem, epigonos catoecis Asiae fuisse magis probo, quamvis nomen desit. Clarissima erat Cyrrhestiorum colonia.

[2]) Id quod amplius tractatur ad pap. Paris. 63. Praeterea cf. R. Et. Gr. IV, p. 297: *βασιλεῖ Σελεύκωι τῶν ἐν Θυατείροις Μακεδόνων οἱ ἡγεμόνες καὶ οἱ στρατιῶται.* ib. commemoratur *τὸ κοινὸν τῶν κατοίκων*, h. e. copia militum civitate usa. Quae colonia ne Caracallae quidem temporibus plane exstincta erat, cf. Clerc, de rebus Thyat. p. 56.

[3]) Lond. I, 23.

[4]) cf. L'Egitto p. 79. Arr. VII, 11, 1. P. Meyer p. 69 *συγγενεῖς κατοίκους* eosdem esse quos reliquos catoecos putare videtur.

[5]) 23, col. 2, 6.

[6]) l. 11 se quindecim annos in Sarapeo esse dicit, anno fere 158/7.

[7]) Non ubique sibi dignitatem *τῆς ἐπιγονῆς* vindicat, sed in litteris regi tradendis. Qua re, quae supra monui, munera atque honores tum omnia

patris legitimus, quem domum recepisse videmus, vel ipse militiae ascribendus est vel alium in ipsius locum supportare debet. Cum filius ei non sit, ut frater minor exercitui inseratur petit. Qui epigonis nomi illius, quem pater incoluerat, addicendus erat, sed Ptolemaeus, quo facilius ipse Memphide adiuvaretur ab Apollonio, ut epigonis hic collocatis inseratur, petit a rege. Quamquam hoc ipsum, filios catoecorum epigonis eiusdem pagi tribuendos esse, apertis verbis non dicitur, tamen res Ptolemaei et Apollonii intellegi non posse censeo nisi hac interpretatione admissa. Mirari licet, quod Apollonius non audit *τῆς ἐπιγονῆς*, nam eiusdem generis esse videtur cuius Ptolemaeus. Neque discernere ausim, utrum neglectum sit verbum an re vera Apollonius, ut adulescens ad illud tempus inermis, nomine illo caruerit [1]). Cum Ptolemaeus fratrem epigonis, qui erant Memphide, assignari velit, in illa urbe epigonorum fuisse manum demonstratur, quae manus infra appellatur: *οἱ ἐν τῇ(ι) Μέμφει ἐπίγονοι* [2]). Mea quidem sententia, ubicumque catoeci collocati erant, filii eorum manipulis [3]) quibusdam inserebantur, ne iuvenes armis deessent. Simulatque pater mortuus est, filius ipse catoecus factus est. Epigoni fortasse inserebantur in manus quasdam expeditas, cum catoeci, qui cleros colebant, expediti esse non possent neque ad arma convocarentur nisi bello exorto. Filios cleruchorum quoque simili modo manipulis expeditis assignatos esse, quamquam testimonia desunt, tamen exemplo epigonorum posteriorum veri simile fit [4]).

---

exhiberi, tum nonnulla omitti confirmantur. P. Meyer p. 72 Ptolemaeo nomen catoeci fuisse dicit, quamquam nullo loco catoecus appellatur. Quin etiam voce *τῆς ἐπιγονῆς* eum non esse *κάτοικον* aperte indicatur.

[1]) Proponere liceat haec: Cum Ptolemaeus officio deesset, *κάτοικος* appellari non poterat, itaque *τῆς ἐπιγονῆς* vocatur. Unius catoeci erat unus epigonus, quo factum est, ut Apollonius fratre vivo neque catoecus neque *τῆς ἐπιγονῆς* appellari posset.

[2]) col. 5, 70.

[3]) Hoc verbo utor, ne quis epigonos Memphide collocatos multos fuisse opinetur; vox *σημέα* manipulum Romanorum significat.

[4]) P. Meyer p. 73 sqq epigonos, quamquam praefectos, manipulos eorum inveniri concedit, armis re vera non adfuisse putat, quia Apollonius ille epigonis adscriptus *ἐν κατοχῇ* remanet. Sed primum quidem, quod Ptolemaeus et Apollonius sunt in Sarapeo, procul dubio ut res eorum multo differant ab

Cum Memphide epigoni essent, certe catoeci in urbe et in nomo habitabant, qui equites, *κάτοικοι ἱππεῖς*, fuisse videntur [1]. Sed et aliis locis catoeci collocati erant, certe in Thebaïde [2]) et in pago Ombitico. Quae novimus, ad tempora sub finem secundi saeculi spectant. De equitibus stipendiariis, qui Thebis fuerunt, alibi dicendum est. *Κατοίκους πεζοὺς* non inveniri recte admonet P. Meyer, p. 70. Sed quae paulo infra dicit de hipparchiis catoecorum, quae similes sint hipparchiis et cleruchiis cleruchorum, non magis confirmantur papyris quam quae protulit de cleruchis. Accedit, quod exemplum solum hipparchiae constituitur ab auctore coniectura temeraria, quam pravam esse opinor. Nam Gr. Pap. II, 42 legitur *Πτολεμαῖος Πτολεμαίου τῆς β τῶν ρ* x *π*[.]*ρ*[. . ., id quod supplere *τῆς β*

---

reliquis catoecis et epigonis, efficit. Tum Apollonium, quem anno 158/7 epigonis Memphiticis inseri vult Ptolemaeus, aliquantum temporis militiae adfuisse negari non potest, etiamsi duobus annis post se *ἐν κατοχῇ* esse profitetur, Anm. 261. Denique quaecumque illis papyris traduntur de epigonis, eos re vera milites esse tam clare demonstrant, ut rem dubiam non esse putem. Accedit alia ratio. Si locus inter epigonos assignandus nihil erat nisi praemium quoddam officiis non impositis (Meyer: Sinekure), cur Ptolemaeus non se ipsum donari vult hoc munere, sed ut Apollonius inseratur petit? Qua re mea quidem sententia epigonis Memphiticis officia militaria fuisse demonstratur, quae Ptolemaeus, artius reclusus quam frater, subire non poterat.

[1]) cf. Strack, Dyn. d. Ptol. p. 255 Nr. 105; non veteranos sed milites fuisse eadem inscr. demonstratur (*ὁ ἐπιστάτης καὶ γραμματεὺς τῶν κατοίκων ἱππέων*).

[2]) Notices et Extraits pap. XV. unus de iudicibus, qui Hermiae res iterum tractant, significatur *τῶν κατοίκων ἱππέων*. ib. XVIII, 2, ubi anno 114 catoecum quendam mortuum, fortasse multo ante mortuum esse videmus. Res agitur in pago Pathyritico, qui prope abest a Thebis. Cui nomo attribuendus sit Paniscus *τῶν κατοίκων*, unus de chrematistis, dubium est. cf. pap. Taur. I, 1 p. 1. Denique commemorare opus est papyros, quae sunt de Drytone, equitum praefecto, cuius testamenta duo traduntur, ca 148 et 126 a. Ch. n. cf. Grenf. Greek Pap. I, 12. 18—21. Testamenta simillima sunt testamentis cleruchorum, sed Drytonem cleruchum vel catoecum fuisse plane demonstrari non potest. Certe non fuit veteranus, id quod intellegitur ex eius dignitate, quae est *τῶν διαδόχων καὶ τῶν τοῦ ἐπιτάγματος ἱππάρχου ἐπ' ἀνδρῶν*. Denique catoecos in Thebaïde vel Thebis ipsis fuisse aperte demonstratur exemplis his: Ostr. II, 330. 353 (quod est *ἔτους νγ* = 117 a. Ch. n.) 1311. 1512. Revillout, Mél. p. 344: *μετὰ τῶν*] *ἐν Διοσπόλει τῇ μεγάλῃ κατοίκων πεποιημένων*. Qui catoeci recenter collocati esse videntur; quonam tempore, dubium est.

τῶν ϱ x [ἱπ]π[α]ϱ[χίας] non ausim. Num fuerint catoeci in Ombitico, dubitare licet, quia vox ipsa de Hermia non usurpatur. Hermias praefectus militaris est, primo ἡγεμών, quattuor annis post τῶν περὶ αὐλὴν διαδόχων καὶ ἡγεμὼν ἐπ' ἀνδρῶν. Eum catoecum esse mea quidem sententia demonstratur verbis, quibus Dino, choachytarum causidicus, iniuria Hermiam domum Thebis sitam sibi vindicare affirmat. Tumultus enim temporibus Epiphane rege et patrem et alios milites Thebis in nomum Ombiticum traductos esse Hermias contendit, Dino temporum ratione habita neque patrem neque Hermiam domum Thebis possedisse explicat. Sine dubio iam patrem Hermiae diu in nomo Ombitico fuisse hac re demonstratur; ubi patris munus filius miles suscipit, catoeciam fuisse veri simile est. Si in nomo Ombitico catoeci erant, catoecis disciplinae militaris satis fuisse perspici potest. Nam Hermias, cum Thebas contenderet rei gerendae causa, intra certum dierum numerum redire iussus est, ita ut hac in re catoecos aeque ac milites loco vel castris alligatos esse videamus [1]).

An catoeci praeter catoeciam, quae domus est, et agros, quos recepisse videntur, stipendia habuerint, cognosci non potest. Sed simili modo atque cleruchis catoecis quoque tributa quaedam solvenda erant. Quamquam singula enumerari non possunt, tamen ad eam sententiam perducimur ea re, quod novimus *στέφανον τῶν κατοίκων* fuisse [2]). Nam hoc solum eis impositum esse veri simile non est, cum tributa a cleruchis solvenda meminerimus. Catoecos dignitate reliquos milites superavisse veri simile est, quamquam apertis testimoniis demonstrari non potest.

---

[1]) I, 2 l. 15/16 *ἠναγκάσθην . . . . ἀναλῦσαι εἰς τὸ τεταγμένον*. Ad rem Hermiae addere liceat haec. Tumultus illis regionibus orti ab Epiphane oppressi esse videntur hunc in modum, ut catoecos illic collocaret. Sive vera sive falsa Hermias contendit, Thebis catoecos fuisse confirmat, quia huiusmodi rem fingere inepti erat. Hermias appellatur I, 2 l. 3 *τῶν ἐξ Ὄμβων ἡγεμόνων*. De catoecis Ombiticis cf. Strack, Dyn. d. Ptol. p. 249 Nr. 88 (Cig 4859): *οἱ ἐν τῶι Ὀμβίτηι τασσόμενοι πεζοὶ καὶ ἱππεῖς καὶ οἱ ἄλλοι εὐνοίας ἕνεκεν κτλ.* Tenor idem est, quem videmus in Asia; et catoeci et reliqui, h. e. cives, uno eodemque decreto utuntur. Milites phalangis una cum civibus egisse veri simile non est.

[2]) Ostr. II, 330. 353. 1311. 1512.

In insula Cypro a Ptolemaeis militum satis magnum numerum collocatum esse inter omnes constat. Qui catoecorum modo instituti esse videntur, nam saepe vox *τὸ κοινὸν* occurrit, ita ut milites praeter ordinem militarem civitate quadam coniunctos fuisse opinari liceat[1]). Ne his quidem locis de veteranis verba fieri, sed de militibus, cum re ipsa perspicitur, quia in illa insula manus expedita opus erat, tum demonstratur verbo *τάσσειν*, quod saepe in inscriptionibus cernitur. Dicitur enim pro imperare copiis locum, qui armis tenendus sit. An praeter milites cives participes fuerint communitatis illius, quam *κοινὸν* vocabant, dubito. Cum legimus: *τὸ κοινὸν τῶν ἐν Κύπρῳ τασσομένων Θρᾳκῶν καὶ τῶν συμπολιτευομένων*, haec vox eo spectare videtur[2]). Macedones collocatos esse demonstrari non potest.

Romani, cum Aegyptum subegissent, cohortes Romanas collocaverunt. Tamen catoecorum genus integrum remansit. Sed magis agris colendis quam armis ferendis addicti esse videntur, quamquam instituta quaedam militaria tenebant, ut *καταλοχισμούς*, in quibus inscribebantur. Dilectum eorum habitum esse per se patet atque illustratur papyris. Quae amplius tractare meum non est[3]). Duo autem ad tempora priora respicere videntur, primum quod catoecis agros esse invenimus, tum quod catoecos et epigonos re vera inter se coniunctos esse, non distare ut genera militum diversa elucet e papyro quadam, ubi legimus: *Μακεδὼν τῆς ἐπιγονῆς τῶν κατοίκων*. Homo *τῆς ἐπιγονῆς* idem est *τῶν κατοίκων*, id quod fieri non poterat, nisi artissime iam ante coniuncti erant catoeci et epigoni[4]).

---

[1]) Strack, Dyn. d. Pt. Nr. 116. 117. 124. 137 (J. H. St. XII, p. 183). 161 (J. H. St. XII, p. 195).

[2]) J. H. St. XII, p. 195. Vox certe civitatem quandam in illo *κοινῷ* fuisse demonstrat. *συμπολιτευομένους* alios milites esse vix cogitari potest, quia hoc verbo genus quoddam a militibus Thracibus plane diversum significatur.

[3]) cf. P. Meyer, Heerw. p. 103 sqq.

[4]) C. P. R. 224; exemplum est anni 5/6 p. Ch. n. Macedo ille *τῆς ἐπιγ. τῶν κατοίκων* vendit partem *τοῦ κλήρου κατοικικοῦ*. Itaque non est dubium, quin catoeci illis temporibus clerum habuerint, neque dubito Lagidis regibus rem institutam esse dicere. Illum Macedonem esse *τῆς ἐπιγονῆς τῶν κατοίκων*, quamquam supplendo invenitur, tamen coniectura certa nititur. Legimus enim et *Μακεδὼν [. . . . κα]τοίκων* et *Μακεδόνι τῆς [. . . . . κατοίκ]ων*.

Vox catoeciae haud raro eodem sensu usurpatur, quo vicus, *κώμη*[1]).

Catoecos a Lagidis collocatos esse non solum papyris sed etiam auctorum locis docemur. Soter ipse magnam Iudaeorum manum collocasse dicitur; quin captivos collocaverit, non dubito, nam captivi illis temporibus mercennarii erant, qui tum Antigonum tum Ptolemaeum sequebantur[2]). Utrum Iudaeos disposuerit necne, discerni non potest, quia auctores, Aristeas et Josephus, non sunt testes gravissimi, sed fieri poterat[3]). Quod *φρούρια* et *κατοικίας* non satis discribunt, ea, quae tradunt, ficta esse non docet. Postea, cum Ptolemaeus IV. bellum adversus Antiochum gerendum pararet, catoecos et epigonos coactos esse videmus, sed, nisi fallor, non omnes; legimus enim: *συνήχθη δὲ καὶ Θρᾳκῶν καὶ Γαλατῶν πλῆθος, ἐκ μὲν τῶν κατοίκων καὶ τῶν ἐπιγόνων εἰς τετρακιςχιλίους, οἱ δὲ προςφάτως ἐπισυναχθέντες ἦσαν εἰς διςχιλίους.* Omnes catoecos et epigonos Gallos et Thraces fuisse minime probari potest papyris conspectis. Itaque bello conflammato catoecorum partem, non omnes, ad signa convocatos esse opinor, prout reliquae copiae rebus satisfacere videbantur[4]).

---

[1]) R. Et. Gr. III, p. 52. B. C. H. IX, p. 395 sqq. Maxime argumento est *ἡ Λαρειουκωμητῶν κατοικία.*

[2]) Diod. XIX, 85, 4 Ptolemaeus captivos *προςέταξεν ἐπὶ τὰς νομαρχίας διελεῖν.* Quamquam vox catoeciae deest, tamen illos catoecos factos esse sententiae aptum esse videtur.

[3]) Joseph. c. Ap. II, 4. ant. XII, 1 *κατῴκισεν ἅπαντας εἰς Αἴγυπτον ἀγαγών.* Aristeas (Merx Archiv f. wiss. Erf. d. A. T. 1868) p. 15. 20. Joseph. XI, 8, 6 Alexandrum ipsum Samaritanos in Aegypto disposuisse narrat, id quod Droysen, Heerwesen p. 163 probat, ego satis dubium esse arbitror. Qua de re nunc optime disserit Willrichius, Arch. f. Pap. I, p. 48 sqq. Simili ratione iam ante Alexandrum in Aegypto stipendiarii agris et domibus ornabantur, cf. Diod. I, 67, 1; Amasis *κατῴκισεν εἰς Μέμφιν,* unde *Ἑλληνικὸν καὶ Καρικόν, τόποι ἐν Μέμφιδι,* orta esse videntur, cf. F. H. G. II, p. 98. Eandem coloniam spectare videtur Herod. II, 154, neque Ptolemaeis regibus deest *Ἑλληνομεμφίτης,* cf. Lond. I, 50. Praeterea Strab. 807 et Diod. I, 73, 7, qui machimos a regibus agris donatos esse narrat.

[4]) Polyb. V, 65, 10. Non esse catoecos et epigonos Thraces, adductos Gallos supra explicavi; et Galli et Thraces utrique generi erant. Mah. in introd. P. P. p. 27 catoecos a Polybio dictos aut non esse in papyris aut esse cleruchos putat. Mea quidem sententia multo plures erant catoeciae quam

Milites iam ante Alexandrum collocatos esse, qui catoeci audiverint, veri simile est, quia de cleruchis constat; clarissimum est exemplum cleruchorum, quos Athenienses in insulam Lemnum miserant. Sed cum Lagidarum catoecias spectamus, quin Alexandrum, non priores, imitati sint, non est dubium. Neque desunt exempla, quibus colonias ita institutas Alexandro rege ortas esse demonstretur[1]), neque magnam differentiam cognoscere possum. Nam Alexander non solum Macedones, sed etiam Thraces[2]), alios collocavit, qui erant milites, quamquam *ἀπόμαχοι* haud raro inerant[3]). Simili ratione atque Seleucidae extremos fines coloniis servare, gentes subiectas hunc in modum coërcere sibi proposuit. Catoeciae Alexandri non solum milites sed etiam incolas quosdam regionis propinquae continebant, quia urbes legibus Graecis constitutas condere volebat, e. g. Arr. IV, 24, 7: *ξυνοικίσαι ἐς αὐτὴν τούς τε προςχώρους ὅσοι ἐθελονταὶ καὶ εἰ δή τινες ἀπόμαχοι τῆς στρατιᾶς.* Praefectus coloniae semper Macedo militari dignitate ornatus fuisse videtur.

Omnibus perpensis catoeci non ita multum a cleruchis differre videntur. Utrique Graeci vel Macedones vel barbari aliunde orti sunt, numquam Aegyptii[4]). Quod catoeci, sive

---

novimus, sed eorum res similiter institutas esse atque cleruchos opinari licet. Quod Polybius catoecos et epigonos non una cum phalangitis et mercennariis sed secundum Aegyptios asserit, eos a phalange plane diversos esse testimonio est. Aeque atque Aegyptii non semper ad signa convocabantur, sed nonnisi bello gravissimo orto, neque omnes, sed pars. Magis Aegypto ipsi supprimendae erant quam hostes defendendo.

[1]) cf. Arr. IV, 22, 5. 24, 7. alibi. Iam Philippi aetate catoeciam deductam esse legimus Plut. Alex. 9: Alexander, qui regnum moderabatur pro patre absente, Maedos vicit *καὶ πόλιν ἑλὼν αὐτῶν τοὺς μὲν βαρβάρους ἐξήλασε, συμμίκτους δὲ κατοικίσας Ἀλεξανδρόπολιν προςηγόρευσεν.*

[2]) Cum comparaveris Arr. IV, 22, 5 et Diod. XIX, 27, 5, Thraces a Diodoro commemoratos ab Alexandro collocatos esse probabis. Fuit certe manus militum *ἐκ τῶν ἄνω κατοικιῶν* ab Eumene coacta, quos ab Alexandro eo deductos esse necesse est.

[3]) Novimus eos postea Eumene vel aliis ducibus stipendia meruisse. Clarissima erat Cyrrhestiorum catoecia, cf. Polyb. V, 50, 7. 8. Macedonum catoecia Carrhis, quae ab Alexandro condita esse videtur. Diod. XIX, 91, 1. XVIII, 2.

[4]) Inter catoecos unus vir Aegyptio nomine inditus est; cf. Ostr. II, 353. Tessera est aetatis satis provectae, 117 a. Ch. n. Inter cleruchos eiusdem

interdum factum est sive saepe, uxores indigenas in matrimonium duxerunt, facile explicari potest. Testimonium enim est saeculi secundi, quo Aegyptii et auctoritate et honoribus multum provecti sunt[1]). An cleruchi, qui ad illam aetatem perdurarent, uxores Aegyptias habuerint, nescimus. Neque est, quod plane negemus. Et cleruchorum et catoecorum filii in patrum loca successisse videntur, atque nomen epigonorum commune est. Nam quod supra consilio distinxi *ἐπιγόνους* et *τῆς ἐπιγονῆς*, feci, ne niterer re adhuc improbata. Nunc quidem non multum interesse inter ea nomina patere videtur[2]). Cleruchi habitabant in agris, catoeci plerumque in oppidis. Sed neque illis domus oppidanae deerant, quas novimus esse stathmos, neque his agri. Fortasse similis est stathmus cleruchorum domui catoecorum. Itaque diversi fuisse videntur ea re, quod cleruchi ruri vivebant, catoeci in oppidis; quae interpretatio vocibus ipsis probatur. Cur illi in agris habitare, hi in oppidis agere iussi sint, discerni non potest, quia parum novimus, quibus temporibus quibusve de causis singulis regionibus cleruchi vel catoeci dati sint. Itaque, quamquam papyri tertii saeculi multae sunt de cleruchis, tacent de catoecis, his quoque temporibus catoecos fuisse negare non ausim. Accedit, quod cleruchos esse saeculo altero a. Ch. n., qui in papyris non inveniuntur, nuper ex ostracis cognosci poterat. Id quod accidit de cleruchis secundi saeculi, sine dubio de catoecis tertii saeculi evenire potest[3]). Polybii catoecos, quos in pugna Raphiaca arma gessisse narrat, cleruchos esse demonstrari non potest. Sed scriptores voce cleruchorum non usi et cleruchos et cat-

---

fere temporis *Σευθεὺς Πετοσεί[ϱ]ιος* obversatur, Ostr. II, 1528. Nomen patris Aegyptium est.

[1]) Dico de matrimonio Nephoretis et Philippi, quem catoecum esse plane evinci non potest. Not. et Extr. 23, 2.

[2]) Ne id quidem dicere licet, homines singulos appellatos esse *τῆς ἐπιγονῆς*, legionem eorum *ἐπιγόνους*. Exstat enim papyrus, quo rege conscripta non constat, qua duo homines appellantur *ἐπίγονοι*: P. P. II, 32, 2 a: *Εὔποϱον κ[αὶ] Ἀϱ[ιστ]όνομον ἐπίγονοι.*

[3]) P. Meyer catoecos institutos esse ab Euergeta II. putat, successores cleruchorum, p. 69. Ut ante cleruchos, tunc catoecos esse in *ἐπιτάγματι*. Sed ne de catoecis quidem testimonia proferri possunt, quibus *ἐπίταγμα* fuisse exercitum subsidiarium commendetur.

oecos hoc nomine appellavisse videntur; qui rem non tam accurate investigarent, utrosque eiusdem generis esse putabant.

De Macedonibus.

Postquam Alexander Magnus totum fere orbem armis Macedonum sibi subiecit, virtutem Macedonum superari non posse inter omnes constabat. Quam ob rem et diadochi, qui appellantur, et reges, qui post eos provincias imperii illius tenuerunt, quam maximas Macedonum copias cogere studebant. Mirum est, quod Macedonia tantam virorum vim edere potuit neque plane exhausta est[1]). Macedones, qui singulis regibus erant, non multos fuisse facile intellegitur[2]); qua re praeter gloriam dignitas aucta est. Ut ab aliis regibus, ita a Lagidis quoque Macedones reliquis militibus praeferebantur. Pars Macedonum Alexandriae fuit, quanta nescimus, pars collocata erat per cleruchias et catoecias. De cleruchis, epigonis, catoecis supra verba fiunt; hic satis est commemorare in illis generibus non solum Macedones sed etiam Graecos, quin etiam barbaros, versari. Neque papyris dignitas superior reliquis demonstrari potest. Tamen, quin cleris et catoeciis dispertiendis Macedones in primis donati sint, non dubito. Sed cleruchi, quos novimus fuisse tertio a. Ch. n. saeculo, quodammodo Macedonibus Alexandriam tenentibus ascripti sunt, cui rei testimonio est, quod demis quibusdam addicuntur. Res explicata est, ubi de epigonis agitur. Nisi fallor, initio reges Macedonum robur Alexandriae continebant, postea singulos vel manipulos totos ruri collocaverunt[3]). In urbe prope regiam castra Macedonum erant, con-

---

[1]) Tamen interdum Macedoniae ipsi deerant viri ob illam causam, cf. Diod. XVIII, 12.

[2]) Demetrii phalanx, qua in pugna ad Gazam commissa usus est, duo milia Macedonum habuit, Diod. XIX, 82, 4. Postea, cum in Graecia bellum gereret, inter quadraginta octo milia habuit octo milia Macedonum, quae manus satis magna visa est: *πεζοὶ δὲ Μακεδόνες οὐκ ἐλάττους τῶν ὀκτακισχιλίων*, Diod. XX. 110, 4. Contra Antiocho Epiphani viginti milia Macedonum erant, cf. Polyb. XXXI, 3, 5.

[3]) Seleucidae in urbe Apamea Macedones contraxerunt, Strab. 752. Neque deerant Macedones in regno Pergameno, sed dignitatis primum locum non tenebant; sub mortem Attali III. civitate donantur et superantur dignitate

iuncta castris reliquorum, qui praesidio urbi erant, sed Macedones proximi fuisse videntur[1]). Quorum numerus quantus fuerit, opinari licet, nam ubi de phalange dicitur, Macedones intellegendi esse videntur[2]). Quo pacto Philopatori, cum pugnam ad Raphiam iniret, viginti quinque milia Macedonum erant. Sed an milites aliunde orti phalangi inserti et Macedones appellati sint, dubito. Quamquam plane demonstrari non potest, tamen paulatim nomine Macedonum iam non viros Macedones significatos esse opinor, sed cohortes quasdam Alexandrinas, quae initio Macedonum ingenuorum erant. Quae opinari licet ob duas causas. Primum quidem, quamvis filios procrearent Macedones exercitui inserendos, quamvis Macedonia ipsa viros ederet *ἐπὶ διαδοχὴν τῆς στρατιᾶς* (Diod. XVIII, 12), tamen cohortes vix expleri poterant, nisi milites alia origine adiciebantur. Inter cleruchos quoque satis magnum numerum non esse origine Macedonica supra monui. Accedit, quod temporibus posterioribus nomen Macedonicum nihil significasse nisi Alexandrinos summa dignitate praeditos constat[3]). Praeterea conubiis originem Macedonicam si non semper at tamen saepe exstinctam esse patet. Sed res huiusmodi est, ut dici non possit, quo tempore nomen nationis mutatum sit in nomen militare. Initio eadem erat in Aegypto et natio Macedonum et manus armata[4]). Fortasse iam sub finem tertii saeculi Macedones, quos saepe

---

a „militibus qui urbem inhabitant". cf. Ath. Mitt. XIII, p. 14. Tamen catoeciae ante datae eis ereptae esse non videntur, cf. B. C. H. 1887, p. 86: *Βασιλεύοντος Εὐμένους ἔτους ζ λ μηνὸς Περιτίο*[*υ*] *οἱ ἐκ Δοιδύης Μακεδόν*[*ες*. P. Meyer p. 6 milites, qui commemorantur Cig. 4836 c add. p 1215, Macedones esse putat, quamquam non omnia nomina Macedonicam originem redolent. Neque quod Neoptolemus eis praefectus est, omnes Macedones esse affirmari potest. Quae profert Anm. 13, ad Macedones pertinere nego, quia voces *στρατιῶται* et *μάχιμοι* minime adaptata esse videntur ad Macedones.

[1]) Polyb. XV, 28, 4. 29, 2.

[2]) e. g. Polyb. V, 65, 3. 82, diversis locis. De Antiocho Epiphane V, 79, 5. Ubique phalanx separatur et a copiis more Macedonico armatis et a mercennariis Graecis.

[3]) Joseph. c. Ap. II, 4 de Iudaeis: *καὶ μέχρι νῦν αὐτῶν ἡ φυλὴ τὴν προσηγορίαν εἶχε Μακεδόνες.*

[4]) Quaestio, utrum Alexandri Magni phalanx nullos habuerit nisi Macedones an alii interfuerint iam antequam Persae insererentur, hic amplius tractanda non est. Quod interdum totus exercitus Macedones appellatur,

commemorat Polybius, originis integritate amissa sunt cohortes quondam Macedonum ingenuorum tunc heredum nominis. Contra, ubi viris singulis vox *Μακεδών* addita est, eos Macedonica origine esse censeo[1]), certe eos, quos tertio saeculo cleros tenuisse videmus[2]). Ptolemaeus quoque Glauciae filius originem Macedonicam ostentare videtur[3]).

In exercitu Lagidarum Macedones locum insignem tenuerunt, cum praeter ceteros participes essent et praesidii urbani et clerorum vel catoeciarum. Praeterea iura quaedam eis erant, e. g. in testamentis vel pactionibus constituendis. Nam cum testes esse soleant sedecim, si Aegyptii testantur, Macedonum sex satis fuisse videntur[4]). Sed multo graviora erant iura Macedonum in exercitu et in regno administrandis. Quae antiquitus viris liberis illius gentis, qui arma ferrent, fuisse videntur. Alexander ipse plus semel vel ipse rem Macedonibus iudicandam dedit vel suffragiis invitus cessit. Ita, cum in India reverti cogeretur, non solum dira necessitate coactus est, sed etiam ius quoddam Macedonum agnovisse videtur. Philotam introduxit inter eos, ut iudicarent[5]), de Hermolao nonnulli

---

testimonio non est, quia nil nisi exercitum regis Macedonum esse exprimitur hac voce. cf. Arr. I, 1, 10. 2, 7. Krause, Hermes XXIII, p. 526.

[1]) Fieri poterat, ut origine vera amissa nomen Macedonis conservaretur; sed iam illis temporibus virum Macedonem appellari ob nullam aliam rem nisi quod cohorti *Μακεδόνες* appellatae addictus sit, vix mihi persuadere possum.

[2]) Exempla P. P. passim. II, 38 a res optime illustratur, nam cohors Sosibii indicata est ita, ut vocem *Μακεδόνος* ad ipsius originem spectare pateat.

[3]) cf. Lond. I, 20. 44. Not. et Extr. 30. Ptolemaeus, quamquam ipse reclusus est, se Macedonem esse profitetur ita, ut ad originem eius, non ad cohortem quandam verbum respicere appareat. ib. pap. 40.

[4]) Wilcken, Anm. Droysen, Kl. Schr. p. 435: pap. Leyd. O, 30: *οἱ ἓξ Μακεδόνες*. Quamquam hoc iure usi esse videntur alii quoque milites; Archiv f. Pap. I, p. 62, quo in testamento testes plerique sunt Persae. l. 31 legimus *οἱ ἓξ τακ[τό]μι(σθοι)*. Sed testamentum conscriptum est 123 a. Ch. n., ita ut iura Macedonum paulatim aliis quoque contigisse censere liceat. Postea non solum in testamentis sed etiam in aliis actionibus nonnullis ius sex testium fuisse videtur; ita altero p. Ch. n. saeculo invenimus *κατὰ δάνεια ἑξαμάρτυρ[α*, BGU. III, 813. cf. Archiv f. Pap. I p. 75.

[5]) Arr. III, 26, 2. 3.

tradunt idem fecisse regem[1]). Post Alexandri mortem saepe Macedones iure regem agnoscendi vel inter imperatores diiudicandi usi sunt[2]). Et Lagidae et Seleucidae iura eorum conservabant, praesertim cum ipsi origine Macedonica gauderent[3]). In Aegypto eorum fuisse regem agnoscere apertissime illis temporibus, quibus Ptolemaeus V. regnum suscepit, patefactum est. Nam primum quidem Agathocles regem puerum praesidio regio ostendit[4]). Deinde, cum Tlepolemi copias accedere opinaretur, Macedonibus convocatis regem se tradere dicit. Quamquam simili modo a reliquis copiis auxilium petit, tamen primos Macedones arcessit, ut iura eorum probare videatur. Tum Macedones Agathoclem cogunt, ut regem sibi tradat, et puerum ad sellam regiam comitantur[5]). Simili modo Macedones regem, cum regnum capesseret, clamore agnovisse et ad sellam regiam comitatos esse veri simile est, quamquam testimonia desunt, nisi quod attinet ad finem secundi saeculi[6]).

Μισθοφόροι.

Inter copias mercennariorum, quas Lagidae habebant, duo genera separanda sunt. Erant enim in Aegypto praesidia per-

[1]) Arr. IV, 14, 2.

[2]) Arrhidaeum agnoscunt: Paus. I, 25, 3. Perdicca interfecto regum tutores constituunt: Diod. XVIII, 36, 7. Eumenem, quem ut hominem Graecum despiciunt, praeter ceteros argyraspides, mortis condemnant: Diod. XVIII, 37, 1. Ptolemaeum Ceraunum Seleuco interfecto regem accipiunt atque nominant: F. H. G. III, p. 534. cf. Holm, Gr. Gesch. IV, p. 110 sq.

[3]) Paus. VI, 3, 1 de dono Ptolemaei I. Olympia misso: *Μακεδόνα δὲ αὐτὸν ὁ Πτολεμαῖος ἐν τῷ ἐπιγράμματι ἐκάλεσε βασιλεύων ὅμως Αἰγύπτου.* Dittb. Syll. I, 205 inscr. in insula Delo inventa: *[Β]ασιλέα [μέγαν] Ἀντίοχο[ν] βασιλέως Σελεύκο[υ Κ]αλλινίκου [Μ]ακεδόνα* etc.

[4]) Polyb. XV, 25, 3; hypaspistae et therapeia sine dubio Macedones sunt. Moiragenes primos ad Macedones confugit atque eos ad arma capessenda lacessit.

[5]) Quae omnia Polyb. XV, 25—33 narrantur.

[6]) Paus. I, 9, 2: *οἱ δὲ Ἀλεξανδρεῖς ..... Ἀλέξανδρον ἥκοντα ἐκ Κύπρου ποιοῦνται βασιλέα.* Quin *Ἀλεξανδρεῖς* idem sint atque *Μακεδόνες,* non dubito; illis temporibus nomine Macedonum Alexandrini nobiliores appellati esse videntur, ut proles Macedonum. Mah. Macedones tunc fuisse *„the free citizens of that country assembled under arms“* dicit Empire p. 407.

petua mercennariorum, quae sine dubio vel filiis illorum vel militibus denuo conductis supplebantur. Quibus erat nomen *μισθοφόροι*. Sed cum bella inibant reges, exercitum copiis mercennariorum augendum esse rati manus quasdam Graecorum vel barbarorum conducere solebant. Utrum bello confecto in Aegypto manserint an dimissi sint, non constat. Neque dubito, quin, prout regi, prout militibus placeret, aliis temporibus alia facta sint. Hoc genus, cum non pars perpetua exercitus sit, commemorasse satis est[1]) Alterum genus hic tractandum est, sed in eo non omnes copiae numerandae sunt, quibus stipendia soluta sint, sed ii milites, qui voce *μισθοφόροι* appellantur. Alexandriae magna manus mercennariorum collocata erat; praeter Macedones copiae electae *ξένοι* fuisse videntur. Certe praesidia domui regis circumdata mercennariorum erant. Quae

[1]) Exemplum legitur Polyb. V, 63—65. 63, 8. 9. mercennarii, quos rex collocaverat in praesidiis externis, separantur ab iis, qui ad bellum gerendum conducuntur. Mittuntur enim *ξενολόγοι*; ab his coguntur milites, qui verbo *οἱ παραγενόμενοι* opponuntur *τοῖς προϋπάρχουσιν*. Quae tum enarrantur de militum exercitatione, utrum ad recenter coactos an ad omnes spectent, nescio. Certe praefecti militum nonnulli tum primum conducti sunt. Quae legimus 64, 5—7 de auctoritate praefectorum, quae eis fuerit propter consuetudines Graecas et gloriam paternam, et ad milites recenter conductos et ad mercennarios in Aegypto collocatos spectare possunt. Sed denuo seiunguntur genera 65, 6: *τούςγε μὴν ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος καὶ πᾶν τὸ τῶν μισθοφόρων ἱππέων πλῆθος.* Cretes quoque recenter conductos esse censeo. Eiusdem aetatis inscr. esse videntur, quas ed. Néroutsos, l'anc. Alex. p. 104, quarum altera: *Διὰ Φίλωνος ἔτους η Ξανδικοῦ κε Φιλώτου ἱππάρχου τῶν δὶ Ἀντάνδρου* [*κτλ.* Antandrum *ξενολόγον* esse opinor. In errorem incidisse mihi videtur P. Meyer, qui p. 22 *ξενολόγους* eis militibus, quos conduxissent, praefuisse dicit. Certe fieri poterat, ut *ξενολόγοι* copiis ab ipsis conductis praeficerentur, sed exemplo supra tractato rem non semper ita institutam fuisse demonstratur. Antandrus enim *ξενολόγος* esse videtur, Philo praefectus. Itemque Polyb. V, 63, 9—14, alios esse *ξενολόγους*, alios copias exercere patet. An Philo ille idem sit, quem Pol. l. c. commemorat, dubito. Milites hoc modo conducti fortasse significantur inscr., quas ed. N. ib. cf. p. 109. In quibus Galli quoque insunt. De Gallis a Philadelpho conductis cf. Paus. I, 7, 2. Ptol. V. rege *ξενολόγους* missos esse testis est Polyb. XXI, 19, 6. Philometore rege idem factum est, Polyb. XXIX, 8, 6: *πρὸς δὲ Θεοδωρίδαν τὸν Σικυώνιον διεπέμψαντο παρακαλοῦντες αὐτὸν συστήσασθαι ξενολόγιον χιλίων ἀνδρῶν.* Fortasse copiae ita coactae hoc ipso verbo significari solebant. Pecunia conductoria appellabatur *πρόδομα,* cf. Polyb. XV, 25, 16.

docemur Polyb. XV, 25, 16 sqq.; Agathocles recentes milites conduci iubet in Graecia, primum ut bello cum Antiocho gerendo prodessent, tum ut *τοὺς ἀρχαίους καὶ προϋπάρχοντας ξένους ἐπὶ τὰ κατὰ τὴν χώραν φρούρια καὶ τὰς κατοικίας* removeret, recentibus castra Alexandriae dare posset[1]). Papyri oculis obiciunt eos ipsos, qui in praesidiis et catoeciis collocati sunt.

Mercennarii in Aegypto diversis locis collocati fuisse videntur; satis magna manus Thebas tenebat, alii Ptolemaïdis regioni praesidio erant, alii infra Memphin erant. Neque in pago Arsinoïtico eos defuisse veri simile est, quia in papyris inde ortis commemorantur[2]). Quamquam papyros, quibus docemur, non eadem tempora spectare memoria tenendum est. Mercennariis stipendia solvebantur; quanta fuerint, hoc loco explicari non potest[3]). Sed praeter stipendia nonnulli agros habuerunt, id quod mirum esse videtur. Legimus enim: *ἐν δὲ τοῖς ὑποκάτω Μέμφεως — . . .]ἀφαιρημένων κλήρων τοῖς τε μισθοφόροις — . . .]ις καὶ τοῖς Μακεδόσιν καὶ τοῖς ἄλλοις*[4]). Eiusdem aetatis, Ptolemaei III., haec: *Πύῤῥανδρος Δημοσθένους μισθοφόρ(ων) ἱπ(πέων) τοῦ ἐν τῶι ἰδίωι κλ(ήρωι)*[5]). Denique eodem respicere opinor papyrum, qua mercennariis equos curandos traditos esse dicitur[6]). Papyrus secundum Mah. e libro

---

[1]) Satis nota sunt verba Polybii de mercennariis Alexandrinis: *μισθοφορικὸν πολὺ καὶ ἀνάγωγον, ἐξ ἔθους γὰρ παλαιοῦ ξένους ἔτρεφον* etc.; XXXIV, 14.

[2]) P. Meyer p. 37 omnes, quos invenit inter cleruchos non esse Macedones, *μισθοφόρους* esse putat. Id quod mea quidem sententia dicere non licet, quia vox *μισθοφόροι* proprio sensu usurpata esse videtur, ita ut non magis supplenda sit, ubi deest, quam *Μακεδών*. Magis etiam verba confundit p. 87, ubi Euergeta II. rege vocem *μισθοφόροι* iam non differre a voce *στρατιῶται* affirmat.

[3]) cf. Wilcken, Aktenstücke, et Grenfell, Gr. Pap. I, 42. Illis temporibus, altero a. Ch. n. saeculo, stipendia exigua sunt.

[4]) P. P. II, 31. cf. Revillout, Mél. p. 274.

[5]) P. P. II, 29. vox *ἱππέων* sigla *ἱπ* datur. Papyro enumerantur tributa hominum quorundam, qui vel ipsi clerum habent vel conductores sunt; utrum omnes cleri, qui commemorantur, mercennariorum sint necne, perspici non potest.

[6]) P. P. II, 35 a.

τοῦ ἱπποσκόπου est[1]). Cleruchos eidem oneri ascriptos fuisse vidimus. Quod onus, equos alendi atque exercendi, vix iniungi poterat, nisi agris donatus erat eques, praesertim cum procul dubio equi a rege dati non modo curandi essent sed etiam propagandi. Itaque Ptolemaeo III. rege pars mercennariorum cleris donata est. Quanti fuerint cleri, non constat; quin fuerint infra cleros cleruchorum, non dubium est[2]). An posteriore quoque aetate cleri mercennariis manserint, nescio; nam quamquam in papyris, quae sunt de mercennariis Thebaeis sub finem saeculi secundi, scriptum invenitur: *ὅρκος, ὃν ὤμοσεν καὶ ὑπεχε[ι]ρ[ογρά]φ[ησ]εν Δ[. . . — κεκληρ[ο]υχημένων*, tamen sacramentum mercennarii esse plane demonstrari non potest[3]).

Ptolemaei III. mercennarii separantur a Macedonibus[4]); ipsi Graeci et barbari fuisse videntur[5]). Id quod commemorandum est, quia centum annis post Aegyptia quoque nomina in mercennariis versantur. Euergete altero rege Thebis *μισθοφόροι ἱππεῖς* erant. Quae papyris traduntur de stipendiis eorum, nihil docent, quanta fuerit illa manus, nam non ad omnes spectant papyri illae sed ad equites recenter Thebas traductos[6]). Quando Thebis collocati sint equites stipendiarii, cognosci non potest. Quod Apollonius Hermiae filius domum paternam Thebis possidet, non refert, cum de Hermia, sive fuit eques sive non fuit, nihil constet[7]). An inscriptio tesserae Berolinensis: *ἀρχαῖοι ἱππεῖς* spectet ad equites Thebaeos, plane

---

1) *ἱπποσκόποι* commemorantur P. P. I, 11.

2) Num cleri mercennariorum intellegendi sint P. P. II, 36, 2 l. 5: *ἐν τῆι μισθο? φόρωι ρα. ἰγ*, plane obscurum est.

3) Wilcken, Aktenstücke XI, l. 17/8. Paulo supra, l. 3, legitur: *τῶν ἐν Διοσπό(λει) $\underset{ι}{μ}$ πεζῶν ἀρχαίων. $\underset{ι}{μ}$* secundum Wilck. fortasse *μι(σθοφόρων)* significat.

4) P. P. II, 31. cf. Polyb. V, 65, 3 *συνεγύμναζον μὲν ἐπὶ ταὐτὸ τὴν φάλαγγα καὶ τοὺς μισθοφόρους Ἕλληνας.*

5) P. P. II, 35 a. Decem nomina cognosci possunt, quorum duo barbarica origine sunt.

6) Wilcken, Aktenstücke V, VI, VII. Ex quibus P. Meyer p. 87 elicere vult omnes copias Aegypti Superioris Thebas illis temporibus deductas esse. Sed qui papyros accurate perlegerit, stipendia in illis commemorata spectare ad paucos, ad manus quasdam exiguas facile intelleget.

7) Pap. Taur. III, 3 et IV, 3. Notices et Extraits XIV.

obscurum[1]). Illis temporibus inter equites mercede conductos Aegyptios quoque fuisse Peyronius opinatus est nixus nominibus Apollonii et Hermiae, *Ἀπολλώνιος ὃς καὶ Ψεμμώνθης Ἑρμίου τοῦ καὶ Πετενεφώτου*. Id quod veri simile esse videtur. Sed homo Aegyptius, qui in mercennariis inscriptus est, stipendia accepit ut reliqui equites, qui origine Graeca vel barbara erant. Peyronius dubitat, an equites illi sint manus Thebaïdi imperata, non praesidium stipendiarium urbis. Quae sententia ita dissidet a nomine *μισθοφόρων*, ut rationibus gravissimis vix defendi possit. Quae desunt.

Mercennarii Thebis, Ptolemaïde, in pago Pathyritico collocati locis quibusdam castra stativa habuisse videntur, quibus addicti erant. Sed non semper omnes illic morabantur. Ut res poscebant, pars huc, pars illuc missa esse videtur. Primum quidem milites deductos esse de alia urbe in aliam ea re demonstratur, quod Thebas equites mittuntur et Hermonthi et Ptolemaïde[2]). Tum eos castris addictos fuisse sed non omnes adfuisse docemur compluribus papyris. Apollonius ille appellatur *τῶν ἀπὸ Διοςπόλεως τῆς μεγάλης τῆς Θηβαΐδος μισθοφόρων ἱππέων*[3]). Appellantur *ἀπὸ Διοςπόλεως*, non *ἐν Διοςπόλει*. Accedit, quod Apollonius ipse, eques mercennariorum Thebaeorum, aliquod temporis spatium Thebis non fuisse videtur; nam si aderat, quomodo Choachytae Apollonii *οἰκίαν προγονικὴν* occupare potuerint, vix intellegat quis. Neque equites Thebaei soli ita appellantur, idem legimus de equitibus, qui erant Crocodilopoli in nomo Pathyritico: *Χαιρήμων Πανίσκου τῶν ἀπὸ Κροκοδίλων πό(λεως) μισθοφόρων ἱππέων*[4]). Res explanatur mea quidem sententia papyro, qua equites mercennarii Diospoli minore collocati sibi stipendia exigua solvi queruntur[5]). In-

---

[1]) Wilcken, Aktenstücke p. 64.

[2]) Wilcken, Aktenstücke VI, 3: *τοῖς μ[ε]τακειμένοις ἐξ Ἑρμώνθεως εἰς τὸν τόπον*. VII, 2: *τῶι μετακειμένωι ἐκ Πτολεμαΐδος*.

[3]) Pap. Taur. III, 3. IV, 3.

[4]) Grenf. Greek Pap. II, 31. 104 a. Ch. n. Quamdiu in illa urbe equites sint, non apparet, tamen non minus viginti annos eos ibi morari veri simile est. Chairemon enim 104 a. Ch. n. quadraginta fere annos natus est, id quod ex hac papyro et e papyris 23 et 32 computari potest.

[5]) Greek Pap. I, 42.

cipit papyrus his verbis: ἀρχισω]ματοφύ[λακι] καὶ στρατηγῶι — [παρὰ τῶν παρεφεδρ]ευόντω[ν] ἐν Διοςπόλει τῆι μικρᾶι μισθοφόρων ἱππέων[1]). Non dicunt ἀπὸ Διοςπόλεως τῆς μικρᾶς, sunt enim re vera in illa urbe. Queruntur deinde hunc in modum, l 12 sqq.: ἐλα]ττουμένων ἡμῶν οὐ μόνον παρὰ — [τοὺς ἐν τῶι ἐν Πτ]ολεμαΐδι ὑπαίθρωι[2]) ἱππεῖς, ἀλλὰ καὶ — [παρὰ τοὺς ἐν τοῖ]ς Χηνοβοσκίοις τοῦ αὐτοῦ νομοῦ, ὡσαύτως — [δὲ καὶ παρὰ τοὺς] πεζοὺς καὶ τοὺς ἐν τοῖς ἄλλοις τόποις — [μισθοφόρου]ς ἱππεῖς ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ ἡμῖν ὑπαίθρου. Sunt igitur equites, qui queruntur, ἀπὸ τοῦ ἐν Πτολεμαΐδι ὑπαίθρου, sed ἐν Διοςπόλει τῆι μικρᾶι. Copiae reliquae omnes iisdem castris addictae sunt, affirmant enim l 8 sibi solvenda esse, ὅσα καὶ τοῖς ἐκ τοῦ αὐτοῦ ἡμῖν — [ὑπαίθρου], quos infra enumerant. Castris Ptolemaïde constitutis addicti sunt et equites et pedites; equitum pars est in castris ipsis, pars in Chenobosciis, pars aliis locis. Utrum pedites sint in castris an in alia loca deducti, incertum remanet[3]). Bello imminente omnes eodem cogebantur, cf. l 3 sqq. Neque dubium est, quin omnibus unus praefectus summus praefuerit. Quae si recta sunt, reges diversis locis, ut Ptolemaïde, Thebis, Crocodilopoli, fortasse Hermonthi, castra stativa esse iusserunt. Quorum copiae partim in castris ipsis erant, partim in alia loca deducebantur, sed ita, ut illis castris ascripti essent atque remanerent.

De peditibus mercennariis nihil fere constat. Thebis sub finem saeculi secundi fuerunt. Quod appellantur πεζοὶ ἀρχαῖοι, eos originem ducere a manu quadam multo ante conducta

---

[1]) Grenf. scribit: παρὰ τῶν στρατ]ευόντω[ν], sed non dubito, quin παρεφεδρ]ευόντω[ν] intellegendum sit, quia sententia aptior est. cf. Paris. 63. Tamen rem certam esse vix dicat quis, nam alio quoque modo lacuna expleri potest, e. g. σταθμ]ευόντω[ν.

[2]) Grenf. habet: παρὰ — [τοὺς τῶι ἐν Πτ]ολεμαΐδι ὑπαίθρωι, quod sensu caret; l. 3 τῶι ἐν Πτολεμαΐ]δι ὑπαίθ[ρω]ι πολλὰς χρείας παρεσχη — κότων exemplo esse non potest.

[3]) Quamquam omnes, qui enumerantur, e castris Ptolemaïdis esse veri simile est, tamen equites, qui sunt Chenobosciis, et pedites ex illis castris esse plane demonstrari non potest. Fortasse nihil nisi μισθοφόροι ἱππεῖς illic collocati erant. Reliqua non mutantur. Equites, qui castris ipsis praesidio sunt, et stipendiis et dignitate ceteros superare videntur.

docet[1]). Quamdiu Thebis sint, non apparet. Iam Alexandri Magni copiis inerant *οἱ ἀρχαῖοι καλούμενοι ξένοι*[2]). Sed mercennarios illos Lagidarum necessitate quadam coniunctos esse cum Alexandri mercennariis contendere non ausim. Illis temporibus, quibus *πεζοὶ ἀρχαῖοι* oculis obversantur, nihil fere nisi nomen fuit cohorti cuidam multis annis ante inditum, quia orta erat ex iis, qui primi Ptolemaeis regibus stipendia fecerant. Sine dubio copiae mercennariorum multo maiores erant quam novimus[3]); in praesidiis, plerumque eis, quae extra Aegyptum a regibus constituta sunt, mercennarios multos fuisse opinari licet[4]). Nam ad praesidia externa spectare puto, quae scripsit Polyb. V, 63, 8: *ἀνεκαλοῦντο δὲ καὶ συνήθροιζον εἰς τὴν Ἀλεξάνδρειαν τοὺς μισθοφόρους τοὺς ἐν ταῖς ἔξω πόλεσιν ὑπ' αὐτῶν μισθοδοτουμένους.*

Denique in classe quoque mercennarii stipendia fecerunt praeter Aegyptios. Invenimus mercennarios in praesidio ad oram maris Rubri constituto Ptolemaeo III., fortasse Ptolemaeo IV. rege[5]). Praeterea naves parvae conductae esse videntur[6]); cum nihil amplius constet, utrum praefectus navis solus an omnes milites, qui inessent, stipendia meruerint, ignoramus.

---

[1]) Wilcken, Aktenstücke XI, 3: *τῶν ἐν Διοσπό(λει) μ̣ πεζῶν ἀρχαίων. μ̣ = μι(σθοφόρων)* esse W opinatur. cf. XI, a. Lond. I, 15, 9. P. Meyer p. 87 (cf. 78) de eis dicit haec: *Es sind Soldaten der „Konservativen" Partei, welche die alten (makedonischen) Traditionen gegenüber dem Könige verficht; daher der Name ἀρχαῖοι.* Commemorare satis est.

[2]) Arr. III, 12, 2.

[3]) Dubia est inscr., quam publici iuris fecit Strack, Dyn. d. Ptol. p. 259 Nr. 118: *ἡ σύνοδος τῶν ἐν Ἀλεξανδρείαι πρεσβυτέρων ἐγδοχέων εὐνοίας ἕνεκεν καὶ δικαιοσύνης τῆς εἰς ἑαυτήν[τε?] καὶ τοὺς ἄλλους ξένους.* Suntne milites *οἱ ξένοι*? quomodo interpretabimur verba *πρεσβυτέρων ἐγδοχέων*?

[4]) In Cypro e. g. Strack, ib. p. 261, Nr. 125: *οἱ ἐν Κύπρῳ στρατευόμε[ν]οι Ἀχαιοὶ κ[α]ὶ οἱ ἄλλοι Ἕλληνες.* cf. Cig II, 2623. J. H. St. IX, p. 242. XII, p. 195. Inscr. Gr. Ins. III, p. 75.

[5]) Grenf. Greek Pap. I, 11: *] παρ' Ἀρχιβίο[υ — . .] μισθοφόροις πλήρωμα [. . .* Fortasse suppleri potest *πληρωμα[τικοῖς,* id quod W opinatur. Voce *πλήρωμα* milites navales significari solent.

[6]) Lond. I, 106: *βασιλεῖ Πτολεμ[αίωι] — χαίρειν Ἀρεὺ[ς . . . . — Πολέμωνος τριημιολίας — μισθοφόρου ἐρετίας.* Polemo vel pater Areos est vel praefectus navis, ita ut supplendum sit aut *Ἀρεὺ[ς τοῦ] — Πολέμωνος* aut *Ἀρεὺ[ς ὁ παρὰ] — Πολέμωνος.*

De Aegyptiis.

Alexander, cum ex Aegypto recederet, copias reliquit, quibus provinciam firmaret, et Macedones et mercennarios. Genere machimorum [1]), quod procul dubio ad illa tempora erat, usus esse non videtur [2]). Regem imitatus Ptolemaeus Soter in robore Macedonum et Graecorum nixus machimis arma non dedit, nisi cum bellum grave inisset cum Antigono gerendum. In pugna ad Gazam commissa inter copias eius Aegyptiorum manus discernitur. Qui machimi non vocantur; sed imprimis viros bellandi peritos conscriptos esse censeo [3]). Nam Aegyptios machimis exceptis idoneos non fuisse, qui arma ferrent, satis constat. Quae consuetudo, quin manserit in regibus posterioribus, non dubito. Quaecumque papyris docemur de militibus Ptolemaeorum alterius et tertii, neque machimi neque copiae Aegyptiorum commemorantur. Fortasse eis, qui mallent, stipendia facere licebat [4]). Contra satis magna manus Aegyptiorum a Philopatore conscripta est, cum bellum contra Antiochum pararet. Sed Polybius, qui rem narrat, inusitatam esse testis est [5]). Duobus locis scriptor de copiis Philopatoris verba facit, V, 65 et V, 82. Inter equites inveniuntur *ἐγχώριοι*; qui secernuntur ab equitibus, qui sunt *περὶ τὴν αὐλήν*, et a Libycis. Haec tria genera ut equites e regno conscripti opponuntur equitibus Graecis et reliquis mercennariis, qui recenter conducti esse videntur. Multo maior est manus peditum Aegyptiorum, qui vocantur phalangitae [6]). Praeter eos Libyorum tria milia ar-

---

[1]) Machimi Pharaonum temporibus erant milites, quorum plerique et arma receperunt a patribus et tradiderunt filiis, sed non erant ita instituti, ut vox „Kaste“ de eis valeat. cf. Herod. II, 164 sqq. Diod. I, 73.

[2]) Arr. III, 5.

[3]) Diod. XIX, 80, 4.

[4]) cf. Greek Pap. II, 14 a, l. 22: *Ἀρμούθηι τῶι μισθωτῶν μαχίμωι;* sed vocem *μισθωτῶν* dubiam esse moneo.

[5]) Polyb. V, 107, 1—3: rex armaverat Aegyptios ad bellum Syriacum gerendum; victoria reportata adeo elati sunt, ut viribus freti tumultum moverent. Quibus verbis Aegyptios antea armatos non fuisse et ad hoc ipsum bellum gerendum conscriptos esse demonstratur.

[6]) Duobus illis locis Polyb. Aegyptios nomine phalangitarum discernit a Macedonibus Aegyptum tenentibus; illi phalangitae audiunt, hi nomine

mantur more Macedonico [1]). In acie ipsa ita disponuntur copiae, ut medium locum teneat phalanx Macedonica, attingant hic Libyi, illic Aegyptiorum phalangitae. Erat inter barbaros genus quoddam militum electorum: *τοὺς ἐπιλέκτους τοὺς εἰς τὸν Μακεδονικὸν τρόπον καθωπλισμένους κατὰ πρόσωπον ἀλλήλων ἔταξαν* (82, 2) [2]). Qui verba 65, 8 dicta sola respexerit, electos esse Libyos putet. Sed quin Aegyptiorum quoque pars more Macedonico armata et electis addicta fuerit, non dubito. Nam 85, 9 legimus: *διὸ καὶ καταβαλόντες παραχρῆμα τὰς σαρίσας οἱ περὶ τὸν Ἀνδρόμαχον καὶ Σωσίβιον ἐπῆγον.* Andromachus phalangi, Sosibius Aegyptiis praeerat. Itaque Aegyptiorum partem hastas Macedonicas habuisse negari non potest. Accedit, quod de pugna ad Gazam commissa narrat Diod. l. c.: *Αἰγυπτίων δὲ πλῆθος, τὸ μὲν κομίζον βέλη καὶ τὴν ἄλλην παρασκευήν, τὸ δὲ καθωπλισμένον καὶ πρὸς μάχην χρήσιμον* [3]). Polybius nihil dicit de machimis [4]). Sed ut supra hic quoque milites Aegyptios, si non omnes, at certe plurimos generis illius fuisse facile per-

---

phalangis significantur. Nam phalanx illis temporibus acies Macedonum est vel Graecorum, non barbarorum.

[1]) Libyorum manus e regno Cyrenaïco cogebatur, quam ob rem eis praeest Ammonius Barcaeus.

[2]) Quem locum prave interpretatur P. Meyer p 64, qui voce *ἐπίλεκτοι* eos omnes appellari putat, qui ante audiverint *ἄγημα* et *ἱππεῖς περὶ αὐλήν*. Verba *τοὺς εἰς τὸν Μακεδονικὸν τρόπον καθωπλισμένους* nullius momenti esse ducere videtur, omisit enim Anm. 214. Contra illis ipsis luce clarius *ἐπιλέκτους* ut viros more Macedonico armatos opponi phalangi Macedonicae demonstratur. Epilecti igitur sunt copiae, quae reliquis praeferuntur excepta phalange Macedonica.

[3]) Praeterea, ut inter Aegyptios fuisse dicam manum electam, quae sine dubio arma Macedonica ferret, permoveor pap. Paris. 63; nam *οἱ παρεφεδρεύοντες ἐν Ἀλεξανδρείαι τῶν τε ἐπιλέκτων καὶ τῶν ζ̄ī καὶ εī μαχίμων* omnes sunt Aegyptii. Quae res infra tractanda est.

[4]) Contra P. Meyer p. 64 Anm. 217 Polybium V, 64 verba facere de machimis abolitis, qui inserantur in phalangem Aegyptiacam, invenisse sibi videtur. Sed verba *λύσαντες τὰ συστήματα*, 64, 2, ad omnes respiciunt, qui quovis modo tum cogebantur, et ad Aegyptios et ad Graecos conductos. Id quod elucet e 64, 5, ubi exponitur Andromachum et Polycratem plurimum valuisse ob eam rem, quia Graecorum studia novissent et origine gloriam nacti essent. Quae apud mercennarios Graecos multum valere patet, apud Aegyptios vix intellegat quis. Itaque voce *πλῆθος*, 63, 14 omnes significantur, qui sive ex Aegypto sive aliunde cogebantur.

spicitur, quamquam nomen machimorum tum nihil erat nisi nomen ordinis cuiusdam, cui non magis quam reliquis Aegyptiis arma ferenda erant. Libyi a Polybio duobus illis locis apertissime distinguuntur ab Aegyptiis; eodem modo atque hi militiae addicti fuisse non videntur, sed periculo graviore imminente conscribi poterant. Denuo commemorantur machimi inscriptione Rosettana, l 19, verbis his: *προςέταξεν δὲ καὶ τοὺς καταπορευομένους ἔκ τε τῶν μαχίμων καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἀλλότρια φρονησάντων ἐν τοῖς κατὰ τὴν ταραχὴν καιροῖς κατελθόντας μένειν ἐπὶ τῶν ἰδίων κτήσεων.* Inter eos, qui tumultum moverant, genus machimorum primum locum obtinuisse facile intellegitur [1]), quam ob rem ante reliquos in hac amnestia proferuntur [2]). Sed ne hic quidem eos milites esse dicitur. Non soli Ptolemaei interdum exercitum copiis indigenarum auxerunt, sed idem invenitur in regno Syriaco. Quin etiam Seleucidae saepius usi sunt gentibus barbaris, quia omnes fere, in quas dominati sunt, virtute bellica excellebant. Alexandrum ipsum Persas in aciem inseruisse constat [3]). Atque in bello supra memorato, quod gessit Philopator cum Antiocho, inter copias Syriacas satis magna manus barbarorum invenitur, quorum decem milia electa et armis Macedonicis ornata erant [4]).

Cum antea Aegyptii armati non essent nisi temporibus periculosis, Philometore rege [5]) machimi non solum arma tulisse

---

[1]) Aegyptios victoria ad Raphiam reportata magnos spiritus sumpsisse supra dixi, itemque eorum, qui pugnarent ad Raphiam, plurimos machimos fuisse. Sed ordo machimorum illis temporibus militiae addictus non erat.

[2]) Droysen, Kl. Schr. II, p. 377 machimos in inscr. Rosett. commemoratos nihil esse nisi Polybii *τὸ τῶν Αἰγυπτίων πλῆθος* censet. Sed cum non habeamus, quod genus machimorum exstinctum esse putemus, cur hoc verbo in inscr. sollemni adhibito non machimos, sed multitudinem Aegyptiorum respici nobis persuadeamus? Accedit, quod machimi a reliqua multitudine apertissime seiunguntur.

[3]) Arr. VII, 23.

[4]) Polyb. V, 79. Barbaros, non Macedones esse illos milites electos ob eam rem puto, quia additur *καθωπλισμένοι δ' εἰς τὸν Μακεδονικὸν τρόπον,* id quod de Macedonibus vel Graecis vix dici poterat. Quae sequuntur: *τούτων οἱ πλείονες ἀργυράσπιδες,* non spectant ad manum clarissimam argyraspidarum, sed multis scuta argentea fuisse indicant. cf. Diod. XIX, 14.

[5]) Philometoris aetate machimi non solum belli temporibus coacti sed etiam praesidio missi sunt in oppida extranea. Nam Inscr. Insul. Maris Aeg. III,

sed etiam Alexandriae collocati esse videntur. Quae docemur pap. Paris. 63. Legimus enim col. 1, 20 et similiter col. 7, 3: *οἱ παρεφεδρεύοντες ἐν Ἀλεξανδρείαι τῶν τ' ἐπιλέκτων καὶ τῶν ζτ̄ καὶ ετ̄ μαχίμων καὶ τῶν ἐπὶ τῶν φυλακίδων τεταγμένων ναυκληρομαχίμων.* Epilecti quoque generi machimorum assignandi sunt. Nam primum quidem Macedonum copiae, quae honoribus ceteras superabant, nomine electorum significari non solent. Accedit, quod vox *ἐπίλεκτοι* a Polybio traditur, ubi de Aegyptiorum vel Libyorum robore verba facit, sed non de Macedonibus vel Graecis[1]. Tum totius papyri tenor ad Aegyptios, non ad Graecos et Macedones adaptatus est. Agitur enim de agris regiis locandis[2]. Quamquam huic officio non solos Aegyptios addictos esse plane negari non potest, tamen Aegyptios praeter ceteros respici veri simile est. Nam id ipsum urgetur illa papyro, ne a ministris Graecis *οἱ λαοὶ* nimis premantur[3]. Denique verba citata secundum leges sermonis Graeci interpretationem expositam minime aspernantur, quamquam alteram non esse contra usum linguae Graecae concedo.

Nr. 466 copiae in Creta, Therae, Arsinoae Peloponnesi collocatae dividuntur in duas partes, *στρατιῶται* et *μάχιμοι,* sed uni eidemque scribae (*γραμματεῖ*) committuntur, viro Graeco. Quin *στρατιῶται* fuerint mercennarii Graeci, non dubito, cum nomina militum magna illa inscriptione Theraea enumerata respicio. Machimos, qui commemorantur, re vera ordinis illius fuisse necesse est, quia in inscriptione sollemni huiusmodi res accurate exprimenda erat. Quae inscriptio antea Philopatore rege conscripta esse videbatur, sed recentissime propter titulum *τῶν διαδόχων* aetati Philometoris addicta est (Strack, Arch. f. Pap. I; similiter P. Meyer, Anm. 233). Quod machimi commemorantur, non magis attinet ad Philometorem quam ad alium, ita ut haec ratio removenda sit, quam protulit Meyer l. c.

[1]) Polyb. V, 82, 2. cf. 79, 4 et 85, 10, ubi de epilectis Antiochi dicitur.

[2]) Papyrum esse de agris regiis locandis maxime ea re intellegitur, quod ubique adhibetur verbum *γεωργεῖν* vel *γεωργός,* quo ille, qui agrum conducit, significatur. Eodem spectat vox *ἐκφόριον,* quod est tributum solvendum ab eo, qui conduxit. Itaque, cum agri regii magna pars ad illud tempus locari non potuisset, edicto illo, quod tractatur in papyro, praescribitur, ut *οἱ λαοὶ* cogantur ad agros conducendos, qua in re nimia acerbitate usos esse ministros regios videmus. Ostr. I, p. 702.

[3]) Col. 4, 97 enumerantur, quibus sit parcendum: *τοὺς ὑποτελεῖς τῆι τε ἰχθυηρᾶι καὶ ζυτηρᾶι καὶ ταῖς ἄλλαις ὠναῖς . . . . . . τοὺς πλείστους δὲ τῶν ἐν ταῖς κώμαις κατοικούντων λαῶν . . . . . οὐκ ὀλίους δὲ καὶ τῶν ἐν τῶι στρατιωτικῶι φερομένων . . . . ἐνίους δὲ καὶ τῶν μαχίμων.* Dubitare licet,

Manus machimorum, quae satis magna fuisse videtur, illis temporibus Alexandriae erat et in officiis militaribus versabatur [1]). Fortasse, postquam machimi arma ceperunt, adeo mores patrios adamaverunt, ut exercitui inseri studerent, id quod contigisse videtur, quia reges posteriores Aegyptiis favebant [2]). In hac papyro, quae est invectio praefecti cuiusdam in ministros subditos, machimi vocantur, quam ob rem verbum non vitio sed studio adhibitum esse patet. Re vera generi machimorum concessum erat, ut rei militaris particeps esset. Aeque atque milites Graeci et Macedones habebant *γραμματέα τῶν μαχίμων* [3]). Utrum praeter machimos Aegyptii militiae adacti sint necne, discerni non potest, nisi de eis, qui sunt *ἐν τῶι στρατιωτικῶι*, certa inveniuntur. Quod stipendia merent, non satis quaestioni prodest [4]).

Sed inter machimos Alexandrinos genus quoddam his verbis significatur: *τοὺς παρ' αὐτῶν ἀπολελειμμένους ἐπὶ τῶν τόπων* [5]).

---

an illi, qui sunt *ἐν τῶι στρατιωτικῶι*, Graeca origine sint. Vox ipsa nihil dicit nisi: qui sunt in genere (*γένος*) militari, h. e. milites. Sed cum inserantur medii inter barbaros, vix eos Graecos esse dicere ausim.

[1]) Col. 3, 87 *τοὺς ἐν τῆι πόλει καὶ διὰ νυκτὸς καὶ δι' ἡμέρας ἐν ταῖς λειτουργίαις καταπονουμένους.*

[2]) P. Meyer p. 64 sq Philometore rege milites, qui ante phalangis nomine significati sint, et mercennarios Graecos appellatos esse machimos putat. Maiorem partem exercitus, in quo Aegyptii non inessent, machimos fuisse. Sed frustra perscrutatus sum librum, ut perspicerem, qua ratione scriptor sententiam argumentis firmavisset. Nam pap. Paris. 63 nihil docet, nisi quae supra exposui, neque ullo verbo maiorem partem militum fuisse machimos indicat. Vocem machimorum, qua certum genus significabatur, transferre ad omnes, vocem, quae ad Aegyptios oculos vertit, adhibere ad milites reliquos exceptis Aegyptiis, nulli licet, nisi qui testimonia gravissima attulerit. Quae ego quidem reperire non potui.

[3]) Col. 5, 144.

[4]) Col. 4, 104: *τὴν ἀναγκαίαν τροφὴν μόλις ἐχόντων ἀπὸ τῶν ἐκ τοῦ βασιλικοῦ τιθεμένων.* Quamquam *τὸ βασιλικὸν* non ubique spectat ad trapezam, tamen loci sententia, ut stipendia cogitemus, suadet. Fortasse voce *τὸ βασιλικὸν* hic *θησαυρὸς* significatur. Mirum esse videtur, quod eis iumenta sunt, qua re eis agros quoque fuisse demonstratur. Stipendia iam illis temporibus exigua esse videmus. Qui hoc loco appellantur *οἱ ἄλλοι οἱ στρατευόμενοι*, mea quidem sententia ab eis, qui sunt *ἐν τῶι στρατιωτικῶι*, seiungi non possunt.

[5]) Ita enim legendum est secundum Wilck. Machimi Alexandrini non

Itaque partem machimorum extra urbem quoque (*ἐπὶ τῶν τόπων*) inscriptos esse in registris militaribus opinor. Hi premuntur officio agros regios conducendi. Neque queruntur machimi, quod hunc in modum obligati sint, sed quod nimis vexentur, maximeque, quod *ἀποσκευαὶ* onerentur [1]). Quamquam vocem *ἀποσκευαὶ* explicare non possum, tamen sententiam loci censeo esse hanc: Non omnes machimi agros regios conducere coguntur, sed ii, quibus ruri agri erant. Nam primum legimus de cleris machimorum [2]), tum machimis *κτήνη*, iumenta, esse comperimus [3]). Fortasse eodem spectant verba, quibus initio genus machimorum, quod est secundum electos, significatur: *τῶτ ζ τ̃ καὶ ε τ̃ μαχίμων*. Signum *τ̃* siglam ururae esse opinor [4]), minime nixus his lineis, quae satis absunt a sigla usitata arurae, sed respiciens ad papyrum ineditam, quae habet: *ε$^{υ}_{α}$ μαχίμων ⁊Ὧρος* [5]). Nisi fallor, legendum est in pap. Paris. *τῶν ἑπταρούρων καὶ πενταρούρων μαχίμων*. Qua interpretatione accepta parti cuidam machimorum cleros a rege datos esse opinabimur, si *ἑκατονταρούρους* meminerimus [6]). Sine dubio genus copiarum significare numero

---

ita diu in urbe esse sed brevi tempore ante Alexandriam missi esse videntur. Utrum urbis defendendae causa an ut ipsi facilius coërcerentur, non patet.

[1]) cf. col. 3, 90: *τὰς ἀποσκευὰς τῶν ἐν τῇ πόλει περισπᾶν;* col. 7, 15: *παρενοχλεῖν*.

[2]) Col. 4, 106; cleri proprii appellantur, quam ob rem dubito, num a rege dati sint.

[3]) Col. 6, 174.

[4]) Quae ante conati sunt homines docti, ut sensum exquirerent, satisfacere non possunt; e. g. Letronnii interpretatio *ζευγῖται* et *ἐπιστάται* (*μάχιμοι* d' infanterie et de char) signum interpretari non potest; contra falso litteras *ζ* et *ε* numeros esse non concedit. Recentissime P. Meyer, Anm. 221, quamquam voces *ζευγῖται* et *ἐπιστάται* retinet, tamen verba fieri de agris opinatur. Ultra procedere non potuit, quia exemplum infra tractatum ignorabat.

[5]) P. P. II, 39 e Verso. (W.) Quamquam mirari licet abbreviaturam, tamen hanc interpretationem veri similem esse vix negari potest. Sigla communis x e litteris $^{υ}_{α}$ intellegi potest, neque signum supra e pap. Paris. datum plane abest. Ultra procedere non ausim.

[6]) Cleri a rege dati separandi sunt ab agris regiis, qui vocantur *βασιλικὴ χώρα*. Cleruchi Macedones vel Graeci certe fundis regiis conducendis obnoxii non erant, Aegyptii, inter eos machimi, obligabantur. Copiose tractatur res papyro citata col. 5. 6. Maior pars a colonis, qui agros conductos filiis traderent, coli solebat, cf. 5, 155: *τοὺς ἐξ ἔθους γεωργοῦντας τὴν βασιλικὴν καὶ τὴν τούτων ἐπιγονήν*.

arurarum, quas rex dedit, alienum non erat a moribus temporum illorum. Machimis cleros multo minores contigisse non est, quod miremur[1]), quia dignitate multo infra cleruchos Macedones Graecosve erant. Quando cleri machimis dari coepti sint, exquiri non potest; id tamen patet morem exstitisse iisdem temporibus, quibus machimi militiae addicerentur. Ubi officia militaria, quae ante Alexandrum huic generi fuerant, redintegrata sunt, fieri poterat, ut agri quoque secundum morem pharaonum machimis distribuerentur[2]). Quae si recta sunt, inter machimos inveniuntur cleruchi, id quod mirum est, quia ne Macedones quidem omnes cleris donabantur[3]). Adscripti erant castris Alexandrinis, agros a rege acceptos habebant ruri[4]). Macedones et Graeci quoque Alexandriae saepe domum habebant, cum in clero habitarent.

Praeter machimos invenimus *τοὺς ἐν τῶι στρατιωτικῶι φερομένους*[5]) vel *τοὺς στρατευομένους*[6]). Quos Graecos non esse iam supra opinatus sum. Atque sententia firmatur eis, quae legimus Col. 5,155—6,163. Agri regii conducuntor et a colonis heredibusque[7]) et a ministris, qui enumerantur; sequitur:

---

[1]) Inter cleruchos obversatur clerus 24 ajurarum. Plurimi 30 fere habüisse videntur.

[2]) Herod. II, 141 et 168 machimis duodecim aruras fuisse testis est. Itaque ne tunc quidem machimorum cleri tanti erant quanti postea cleri Macedonum vel Graecorum. Diod. I, 73, 7 agros machimis datos esse putat, ut quam fortissimos se praestarent *διὰ τὴν κληρουχίαν*.

[3]) Supra iam explicavi, cur cleros machimorum col. 4, 106 commemoratos a rege datos esse affirmare non ausim.

[4]) Eosdem morari Alexandriae et cleros habere ruri opinor primum quidem, quia pars *τῶν ζ̄ι̅ καὶ ε̄ι̅ μαχίμων* in urbe est, col. 1, 21; tum, quia *αἱ ἀποσκευαὶ* eorum, qui sunt in castris Alexandrinis, adhibentur ad agros colendos, 3, 90. 91. Quidquid sunt *ἀποσκευαί*, a cleris alienas non esse puto. Fortasse erant instrumenta, quibus ager coleretur. Sed illis verbis, quae dicuntur de *ζ̄ι̅* et *ε̄ι̅* machimis, partem cleruchorum machimorum non in urbe sed ruri fuisse explanatur. Quae pars significari videtur, ubi commemorantur *οἱ ἀπολελειμμένοι ἐπὶ τῶν τόπων*. Itaque illi quodammodo similes sunt catoecis, hi cleruchis, quos supra cognovimus.

[5]) Col. 4, 103.

[6]) Col. 6, 175.

[7]) Exemplum coloni regii eiusdem fere aetatis: Not. et Extr. XII: *παρ' Ἀρ[μ]άϊος βασιλικοῦ γεωργοῦ*.

καὶ μηθεὶς ἔλθηι[1]) *στρατεύσασθαι.* Qui agros regios conducunt, ne ad bellum proficiscantur. Sensus videtur esse hic: Dilectu liberi sunto. Prospiciendum est, ne iidem ad arma convocentur et ad agros conducendos impellantur. Vel si quis, qui militiae addicendus esse videatur, agrum conducere coactus sit, tam diu militia liber esto, quamdiu agros regios colit. Id quod ad homines Graecos vix spectare potest, quia eos militia absolvi veri simile non est. Videmus rem publicam illis temporibus satis turbatam esse; milites opus erant, et agri inculti relinquebantur, nisi *οἱ λαοὶ* conducere cogebantur[2]).

Quid interest inter machimos et *στρατευομένους*? Rebus eorum perpensis machimos vel semper esse in armis vel milites esse simili modo atque cleruchos vel catoecos censeo. Contra *οἱ στρατευόμενοι* sunt multitudo satis magna Aegyptiorum, quamquam non omnes, ne maior quidem pars, idonea, quae arma capiat belloque incenso ad signa concurrat[3]). In pace non milites sed pagani vel agricolae sunt. Vox *στρατευόμενοι* non milites, qui sunt in armis, sed incolas bello imminente conscribendos significare videtur.

Denique Aegyptios, qui raro in exercitum insererentur, militia navali obstrictos fuisse veri simile est. Non solum in navibus, quae *φυλακίδες* audiunt, inveniuntur[4]), sed etiam in

---

[1]) Lumbroso legit *ἐαθῆι.* Secundum chartam *λ* magis probandum esse videtur, quamquam *α* et *λ* maxime inter se similia sunt. Wilck. *λ* certum esse putat.

[2]) Quibus rebus ordo solitus turbatus sit, non patet.

[3]) Exemplum exhibet Revillout, Mél. p. 291, pap. ined. Euergete II. rege: *Φιλάμμων Πατῆτι Ψενοῦτος καὶ Παχρήτηι καὶ τοῖς σὺν αὐτοῖς στρατιώταις χαίρειν καὶ ἐῤῥῶσθαι.* cf. Not. et Extr. 8. Similiter ac supra vox *στρατευόμενοι* usurpata esse videtur Strab. 752: Apamea Syriae appellata est Pella *διὰ τὸ τοὺς πλείστους τῶν Μακεδόνων ἐνταῦθα οἰκῆσαι τῶν στρατευομένων.* Interesse aliquid videtur inter copias expeditas et Macedones *στρατευομένους,* qui cleruchorum non dissimiles esse videntur. Quamquam hic vox *στρατευόμενοι* non eadem sententia adhibetur qua in pap. 63, tamen utroque loco genus a militibus paratis diversum spectare videtur. cf. Rev. pap. col. 24, 6: *[κα]ὶ τῶν στρατευομένων καὶ τοὺ[ς . . . .] κλήρους πεφυτευκότων.* Hic vox *στρατ.* cleruchos significare videtur; ubique, nisi fallor, non milites expeditos sed genus quoddam militum nonnisi bello incenso ad signa convocandum.

[4]) Not. et Extr. pap. 63, l 22: *τῶν ἐπὶ τῶν φυλακίδων [τε]ταγμένων*

classe bellica[1]). Accedit, quod inscriptione Rosettana, 196 a. Ch. n., Aegyptios militiae navali adactos esse docemur. Dicit enim l 17: *προςέταξεν δὲ καὶ τὴν σύλληψιν τῶν εἰς τὴν ναυτείαν μὴ ποιεῖσθαι.* Versio demotica, quamquam verba *εἰς τὴν ναυτείαν* omittit, de conscriptis agi testatur[2]). Sine dubio Aegyptii conscribebantur ad classem implendam.

ναυκληρομαχίμων. Quorum dux quidam commemorari videtur P. P. II, 13, 7, ubi Horus hypotrierarchus coniunctus est cum phylacitis. Qui fortasse stipendia merebant in navibus *φυλακίδες* appellatis.

[1]) Paus. III, 6 (218), ubi socii navales opponuntur Macedonibus et Aegyptii appellantur. Praeterea P. P. II, 40 a epistula traditur a Manre quodam conscripta. Verba fieri de sociis navalibus intellegitur ea re, quod navis *ἐλεφαντηγὸς* commemoratur. Contra litterae 1 5, quas Mah. legit *Βερενί[κηι*, legendae sunt *'Ιέρωνι.* (W.) Nomina, quae occurrunt, sunt Aegyptia. Quin praesidio collocati sint socii navales, vix dubium est. Itaque haec quoque epistula Aegyptios fuisse socios navales testatur.

[2]) Cf. Mah. Emp. p. 320. Contra Wachsmuth, Rhein. Mus. 30, p. 448, verba fieri non de dilectu Aegyptiorum, sed de tributo ab omnibus, qui in Nilo navigaverint, solvendo putat. Quae sententia cum bene concinit cum rebus et ante et post tractatis, tum verba *τῶν εἰς τὴν ναυτείαν* explicare videtur, quae ad tributum pertinere possunt. Sed vox *σύλληψις* magis ad conscribendum quam ad tributum exigendum spectat. Accedit, quod illo loco agitur de gratiis a rege collatis in sacerdotes. Respicienda sunt verba antecedentia: *ἀπέλυσεν δὲ καὶ τοὺς ἐκ τῶν ἱερῶν ἐθνῶν τοῦ κατ' ἐνιαυτὸν εἰς Ἀλεξάνδρειαν κατάπλου · προςέταξεν δὲ καὶ τὴν σύλληψιν τῶν εἰς τὴν ναυτείαν μὴ ποιεῖσθαι.* Non dubito, quin hoc beneficium pertineat ad eos solos, qui sunt *τῶν ἱερῶν ἐθνῶν.* Quicumque est addictus quodammodo templo alicui, iam non conscribendus est ad militiam navalem. Antea hi quoque inter socios navales inserti sunt. Itaque reliquos Aegyptios ad militiam navalem conscriptos esse hac inscriptione veri simile fit.

Vita.

Natus sum Fridericus Guilelmus Ludovicus Schubart anno 1873 die 21. mensis Octobris in oppido Liegnitz Silesiae, patre Friderico Schubart pastore, matre Sophia e gente Rudolphiana. Vratislaviae eruditus sum in gymnasio Regio Guilelmiano. Maturitatem assecutus historiae et philologiae operam dedi in universitatibus Tubingensi, Halensi, Berolinensi, Vratislaviensi per octo semestria. Docuerunt me viri doctissimi: Tubingae: Kübel, v. Schwabe, v. Herzog, Pfleiderer, Fischer, Schäfer; Halis: Haym, Hertzberg, Droysen, Dittenberger, Ed. Meyer, B. Erdmann, Kirchhoff, Kauffmann, Lindner, v. Heinemann, Ihm, Haupt, Beyschlag, Kähler; Berolinae: U. Köhler, Vahlen, Diels, J. Schmidt, Scheffer-Boichorst, Weinhold, Paulsen, Thomas, N. Müller, Plath; Vratislaviae: Wilcken, Förster, Vogt, Marx, Caro, Zacher.

Interfui seminariis et exercitationibus, quibus praeerant viri doctissimi: Tubingae: Schäfer; Halis: Haym, B. Erdmann, Droysen, Ed. Meyer, Dittenberger, Ihm; Berolinae: U. Köhler, Diels; Vratislaviae: Wilcken, Förster.

Postquam anno 1897 die 10. mensis Martii Vratislaviae examen pro facultate docendi superavi, biennium paedagogicum percurri. Nunc munere magistri adiuvantis fungor Berolinae in gymnasio, quod appellatur Graues Kloster.

Iam Hermannus Eckardt, director gymnasii Guilelmiani, amorem incendit historiae antiquae. Postea Wilckenio, professore ordinario Vratislaviensi, duce papyros Graecas in Aegypto inventas tractare coepi, quas Berolinae in Museo Regio legere mihi licet. Quam ob rem Wilckenio Vratislaviensi gratias quam maximas ago.

Sentententiae controversae.

1) In papyris vox *οἱ πραγματευόμενοι* significat non genus quoddam eorum, qui muneribus funguntur, sed omnes, qui in muneribus versantur.

2) *Θεραπεία* Alexandri et successorum temporibus significat et aulicos et copias electas.

3) Milites Lagidarum, simulatque inserti sunt in exercitum, sacramento obstrictos esse demonstrari potest.

4) Bacchylides, carm. XVII (ed. Kenyon) v. 87/8 verba *κέλευσέ τε κατ' οὖ[ρ]ον ἴσχεν εὐδαίδαλον νᾶα* recta esse non possunt, quia sententiam loci turbant.

5) Quid sensuerit Empedocles de visu, e fragmentis perspici non potest.

6) Attentio, quae vocatur in arte psychologica, nihil est nisi conscientiae gradus superior.